DE AETNA POEMATE QUESTIONES CRITICAE

Paul Reinhold Wagler

DE AETNA POEMATE QUAESTIONES CRITICAE.

SCRIPSIT

PAULUS REINHOLDUS WAGLER.

BEROLINI 1884.
APUD S. CALVARY ET SOCIUM.

BERLINER BUCHDRUCKEREI-ACTIEN-GESELLSCHAFT, SETZERINNEN-SCHULE DES LETTE-VEREINS (CARL JANKE).

OTTONI RIBBECKIO

SACRVM.

CAPUT I.

De Aetnae re critica, imprimis de praestantia codicis Gyraldini.

Quam misere se habeat Aetnae poematii interpolatorum temeritate scribarumque neglegentia simul et inscitia multa per saecula foede depravati conditio critica, verbis dici vix potest. Quid? quod nonnulli carminis versus tanta inquinati sunt corruptelarum labe, ut ingenio diu multumque exercitato defessus desistas tandem laboriosae pleno opere aleae ac desperes hic illic ut medicus de salute aegroti? Sed ipsa illa incredibilis depravatio animum mirum quantum incitat ad indaganda genuina, ita mehercle ut fere non possis non etiam atque etiam revolvi ad Aetnam tuam summa contentione emendandam difficultatesque fortiter devincendas.

At vero antequam artis criticae in Aetna emendanda exercendae solida struere aggrediar fundamenta, paucis mihi exponendum est, quibus codicibus servata Aetnae memoria ad nostram aetatem pervenerit. Ac primum quidem sciendum est codicem solam Aetnam continentem hodie prorsus nullum exstare, nimirum quia Aetna, de cuius auctore quid sentiam infra exponetur, iam antiquitus recepta est in syllogen Vergilianam scribarumque calamis una cum ceteris illius collectionis carminibus propagata.

Primo loco codicem nomino Cantabrigiensem saeculo fere X scriptum litteris valde perspicuis, cuius lectiones nonnullas, sed non omnes primus vulgavit et via ac ratione in usum vocavit anno

huius saeculi 54 Mauricius Hauptius, vir ille cum omni de poesi latina tum de Aetnae emendatione optime meritus. Plenam vero Cantabrigiensis libri collationem Munroni debemus Anglo, qui in Aetnae editione a. 1867 Cantabrigiae emissa vel minimam discrepantiam diligenter enotavit et codicem ipsum p. 29 sqq. accurate descripsit (cf. et Ribb. app. Verg. p. 35). Aetna in Cantabrigiensi Culicem et ipsum a Munrone, sed in usum Ribbeckii collatum ita insequitur, ut inde a p. 62 usque ad p. 94 Aetna perscripta sit, a p. 40 usque ad p. 61 Culex: p. 62 Aetnae habet inscriptionem et primos versus undeviginti, p. 63—93 vicenos versus continent, ultima denique p. 94 sex versus habet et subscriptionem. Codicis autem paginas primas 39 Ausonii et medii aevi carminibus expleri satis sit commemorasse.

Eodem anno 1854, qui supra commemorandus fuit, Bruxellis publici iuris facta est commentatio Bormansii, quae inscribitur 'Collation des 167 premiers vers de l'Aetna de Lucilius Junior avec un fragment manuscrit du XI[me] siècle': intellegendum nimirum fragmentum Stabulense saeculi XI, quod accurate descriptum videas in Baehrentis, qui ipse a. 1875 hanc membranam denuo contulit, appendice Vergiliana p. 10. Bormansius, cuius collega Polanius folia illa antea prorsus ignota casu aliquo reppererat, sodalis fuit academiae Regiae Belgicae, sed acute cogitare et iudicare numquam didicit, ita ut praestare videatur verbosas istas atque infructuosas plerumque Bormansii adnotationes plane neglegere, cum praesertim sciamus ne ipsam quidem collationem satis accurate institutam esse: e. gr. v. 19[1]), ubi quid proprii boni haberet fragmentum Stabulense, si re vera inesset, quod Wernsdorfius coniectura restituit, „tristem natorum funere matrem“, Baehrentis apparatus recte nos docet minime recedere Stabulensis libri memoriam a Cantabrigiensi ceterisque libris omnibus. Idem de versu 116 dicendum, ubi „dolendi“ exhibet fragmentum Stabulense, non „docendi“. His enim duobus locis fragmentum Stabulense mea gratia inspexit rogatus a me per litteras L. Delisle, director bibliothecae Parisinae. Displicet etiam hoc in Bormansio, quod nimis saepe veterum editorum lectiones vel

[1]) Numeros versuum semper Baehrentinos sequor.

ineptissimas fastidiosa fere cura molestisque ambagibus retractavit: mea quidem sententia veteres viri docti fere omnes — nam Bentleium quis non exceperit? — quamquam doctrina mirum plane in modum abundaverunt, iudicii tamen non ea erant subtilitate atque elegantia, qua hodie fruuntur viri docti; unius e. gr. Hauptii opera Aetnae emendatio multo magis promota est, quam Scaligeri, Goralli, Pithoei, Lindenbruchii, Meinekii, Wernsdorfii coniunctis viribus: accedit sane, quod melioribus ille instructus fuit subsidiis. Munro Bormansii librum numquam vidit ob eamque causam Stabulensis membranae nullam omnino habet notitiam; Baehrens autem, recentissimus Aetnae editor, libri illius ad vv. 1—170 et 263—346 (hic enim desinit fragmentum Stabulense) varias lectiones enotavit et critico apparatui inseruit. Versus enim, qui sunt 171—258[1]), evanuerunt in codice ita, ut legi fere nequeant; vv. 262 et 303 hodie sunt abscissi.

Jam vero quae ratio intercedat inter Cantabrigiensem librum et fragmentum Stabulense, accuratius quam adhuc factum esse video, in animo est disquirere. Versus carminis nostri 61 „in commune venit: iam patri dextera Pallas" in plerisque libris mss. deest: exstat in solis codicibus C et S ita, ut anno demum huius saeculi 54 repertus sit omnino. Versus 5 et 6 iusto ordine collocati leguntur in C et S, transpositi inter se in ceteris libris omnibus. Eadem est codicum S et C concordia in explendo fine versus 328 in saeculi XV codicibus plane omisso: exhibet enim C „siponibus actus", S „sipon", totius enim illius folii 98 margo hodie abscissus est ita, ut abrupti sint exitus versuum 304—346; sed dubium non est, quin, si exstaret ille margo, frustulum 'ibus actus' ibi reperiremus, Itali autem, quorum fraudes hoc exemplo dato patefiunt, pro „veluti" vocabulo „revolutis" coniectura substituentes interpolamentum addidere „aestibus amnis". Abstinuerunt autem, quantum video, tali interpolamento Itali in versu 53, ubi ceterorum codicum post vocabulum „admotis" lacuna ita in SC expletur, ut aperiatur saltem emendandi via: legitur enim in utroque libro

[1]) Versus 259—261 in libris praeter Gyraldinum, de quo infra copiosius disserendum erit, omnibus post v. 279 leguntur.

„provocat admotisque tertia sidera signis“, quod quomodo restituendum sit, hic non curamus; hoc loco nil nisi codicum CS artissimum conexum exemplis illustrare studeo ad evidenter persuadendum quam aptissimis. Versus 60, cuius nil nisi frustulum „et que in“ superest in Helmstadiensi, Rehdigerano, Arundeliano, in CS totus servatus est: „atque in bellandum quae [bellandumq: C]

cuique potentia divum“.

In fine versus 117 quod Aldus recte supplevit „non credat inanis“, cum tamen plane non usus sit libris CS „non credit inanis“ una mente exhibentibus, non facile explicatur: aut enim Aldi felicem habes coniecturam aut usus est Aldus alio quodam codice hodie deperdito, cui cum libris CS artior fuit conexus. Ceteri enim libri hoc loco aut lacunam praebent aut interpolati sunt in hunc modum „quis enim non viderit illud“. Quod igitur Munro exoptata illa versuum incrementa soli C deberi dicit, nos meliora edocti Stabulensem quoque membranam illius virtutis participem esse cognovimus. Idem librorum CS per totum ipsius carminis textum animadvertitur consensus: omnia enim, et recta et falsa, utrique libro fere ubique communia esse sive consentientibus ceteris libris sive dissentientibus cum sat luculente doceat unaquaeque Baehrentinae editionis pagina, exempla enumerare facile supersedeo.

Sed cave credas prorsus eandem esse librorum CS memoriam: versus 40 nil nisi „armare“, versus 80 nil nisi prima littera „h“ exstat in S: haesit fortasse scriba in voce „Tityon“ et ob eam causam toto versu in spatio vacuo omisso sine mora ad sequentem versum properavit. Versus 294 in S initium tantummodo exstat „nam veluti sonat“ reliquo versu, qui in C misere claudicat, item omisso. Versus 28 in S voce „mens“ finitur: verba enim „carminis haec est“ plane desunt. Versus 281 omissum est in S extremum vocabulum. Versus 118 et 119 in S scribae neglegentia in unum versum contracti leguntur

„esse sinus penitus, tanto || se mergere hiatu“: aberraverunt nimirum scribae oculi a versu 118 ad sequentum versum propter similitudinem verborum „emergere“ et „se mergere“. Paucis quibusdam locis in eo inter se differunt CS libri, quod in altera

membrana scribae in dividendis verbis mirus animadvertitur error[1]), e. gr. — addito asterisco rectam lectionem notavi —:

v. 49: ossan olimpus *C
ossa nolympus S
v. 55: flamma removet *C
flammare movet S
v. 114: inclusis olidum C
inclusi solidum *S

Corruptae in utroque libro lectionis exempla huc spectantia duo extant:

v. 66: infert e C
inferte S
v. 165: ventosa quã quaeque C
ventos aqua queq; S.

Particulam „que" S perperam addit in versu 297 („irriguoq;"),

---

[1]) Efficax exemplum male disiunctorum textus verborum praebet Helmstadiensis et ceteri libri Italici in v. 385, ubi pro genuino „sic cessata diu referunt spectacula venti" legitur „sic cessat ad (vel „a") iure ferunt s. v." Sed talia in omnibus fere codicibus sat saepe occurrunt: in nostro carmine cf. v. 448, ubi „ager etventos" pro recto „ageret ventos" habet C, v. 563, ubi „opera e" pro continuato „operae" praebent omnes libri. V. 441 legendum „maior refrixit": habet autem „maiore frixit" C, „maior efrixit" Helmstadiensis. V. 374 bene C „quae rumpat iter", contra libri Italici „quaerunt pariter". V. 356 bene reposuit Baehrens „humus excita praedast". „Humus excita predas" habet C. Litterula „a" verbi „excita" male cum sequenti vocabulo coniuncta Helmstadiensis librarius scripsit „exit humus apredas". V. 357 „sum limus" habet H pro recto „sublimis". V. 624 pro librorum textu „nulli sparsura" „nullis parsura" legendum. V. 615 „virescera pinae" male C pro recto „viresque rapinis". V. 644 iam olim „illos seposuit" scribendum esse Scaliger vidit: habent autem libri „illo se posuit" et „ille se posuit". Contractione quadam rectum prodit v. 73, ubi „petula in se" contrahendum est in formam „patulis": minus bene Itali coniecere „petulans". V. 161 „falleris et" cum Gyraldino legendum, pessime „fallere sed" ceteri libri exhibent. V. 151 „flammaeve ruit" Gyraldini abiit in corruptelam „flamma verrit". Sed haec hic cum pulvisculo exhaurire non attinet, cum non sit rara ea res et occurrat in libris sexcenties.

perperam omittit in v. 293 („pulsata"): eadem vocula recte additur in v. 11 („venturisque"): contra liber C haec exhibet: „'irriguo', 'pulsataque', 'venturis'". Cetera id genus etsi collegi omitto: sunt enim minutiae — fere viginti —, quae item debentur solis illis duobus librariis, membranae C dico et membranae S, quas ex eodem exemplari hodie deperdito descriptas esse luce est clarius. Est igitur in nostro carmine — nam de ceteris carminibus non meum est iudicare hoc loco — fragmentum Stabulense proprio pretio plane destitutum, nimirum quia adest Cantabrigiensis in universum plane geminus ac praeferendus etiam, quod multo est plenior.

Attamen id ipsum, quod plane consimilem textum praebent libri CS, monet sine dubio, ne credamus ipsum scribam codicis C reum agendum esse textus illius depravati, qualem legis in Cantabrigiensi. Immo codicis C librarius quamquam non prorsus fideliter expressit exemplar suum, tamen in universum munere suo sat bene functus est, nam perspicuae et eleganti scripturae operam dedit atque etiam ab exercenda arte critica plane abstinuit. Id igitur exemplar, quod ante oculos habuit scriba codicis C, duplici recte concluditur vitio fuisse infectum: primum enim incredibili scatuit copia depravationum, quales referendae sunt ad neglegentiam et stultitiam scribarum, deinde autem idem ille librorum CS archetypus manum passus erat correctoris cuiusdam, qui suo arbitrio, quae sibi displicerent, temere mutaverat nihil curans libri sui archetypum, cuius rei exempla infra tractabuntur. Hic igitur fuit primus Aetnae carminis interpolator et — si excipis interim excerptorem Parisinum, de quo statim dicendum erit — simul ultimus ante Italos, qui saeculo XV renascentibus in Italia litteris furtivum emendandi negotium denuo suscepere. Est igitur codex C fidelis ut ita dicam heres interpolati codicis et crassa scribarum depravatione aspersi, sed nihilominus in maiore carminis parte — exceptis nimirum versibus 138 — 287 — ubique maxime consulendus, nam ceteris melior est sine dubio omnibus, cuius rei exempla afferentem conferas interim Munronem p. 30. Haud enim raro in solo Cantabrigiensi genuina poëtae manus integra servata est, quod non miraberis, si aetatem libri animo tecum reputaveris.

Eundem fere secundae classis textum, quem Cantabrigiensis

praebet, habent etiam excerpta Parisina a Munrone item neglecta, de quibus in praefationis p. 15 Baehrens breviter exposuit. Attamen hic illic excerptor ille Gallicus vulgarem istum secundae classis textum satis feliciter emendavit sui ingenii viribus, coniciendo nimirum, ita ut Parisina excerpta, quae complectuntur versus fere quadraginta — 222 — 272, ita tamen, ut suo arbitrio omiserit excerptor vv. 226, 227, 252 — 257 et pro versiculis duobus 229, 230 hunc unum versum substituerit „principia et rerum dubias exquirere causas“ cf. v. 226 —, locis nonnullis, ubi Cantabrigiensis memoria prava est et reicienda sine dubio, mirum quam accurate congruant cum Gyraldino libro, de quo infra dicendum erit, plane egregio, e. gr. 'quot' (228), 'lune' (=lunae 231), 'meet — sidera (233), 'dura et' (268), 'ulmis' (269), 'fenilia' (272). Haec omnia coniectura assecutus est excerptor ille, cuius ars bene detegitur versu 224, quem Parisina excerpta sic scriptum exhibent: „non oculis solum pecudum miranda videre | more“. Hoc igitur loco pro inepto vocabulo „fuere“ ex sententia recte ille substituit „videre“, quod tamen ipsius poëtae non fuit: hunc enim „tueri“ scripsisse docet memoria Gyraldini. In versibus 239 sqq. veris notionem etsi sat recte intellexit excerptor noster desiderari, tamen ut mederetur huic loco, nondum ei contigit: scripsit enim:

„Tempora cur variant anni, primaque iuventa
Ver aestate perit, cur aestas ipsa senescit e. q. s“.

Voluit coniungi 'prima aestate': scribendum autem cum primae classis codice Gyraldino „ver, prima iuventa,
Cur aestate perit“. Hoc igitur bene assecutus est noster reddendam esse poëtae voculam „ver“. Versum 235 Gallus in libro suo sic scriptum legit: „scire vices etiam signorum tradita iura“; haec quia vidit non posse intellegi, ut tenebris istis aliquam saltem lucis speciem afferret, restituit „tradita cura est“, quam scripturam poëtae non fuisse nos quidem Gyraldino meliora edocti certo scimus: excidit nimirum in illo versiculo particula „et“ inter vocabula „signorum“ et „tradita“, qua inserta subito omnia facile intelleguntur. Versus, qui praecedit, nil nisi primum vocabulum exstat, in Parisinis excerptis: omisit excerptor, quae non intellegebat „quaeve suo errant incondita cura“, et sunt sane ea verba misere corrupta; sed ex ipsa lacuna apparet aliquo iudicio

usum esse excerptorem nostrum: noluit enim inepta scribere, quod sine dubio laudandum est: nam alii ne sentiunt quidem, quid ineptum sit, quid non. Ceterum poëtae versus interdum suo arbitrio satis audacter inter se transposuit Gallus noster vel etiam in formam redegit novam plane ac singularem, qua in re age mecum paullum immoreris. Inde a versu 224 poëta verba facit de divinarum rerum contemplatione ac perscrutatione quam maxime excolenda. Dedecet enim pecudum more rudem atque hebetem ventrique oboedientem dies degere neglectis omnibus, quaecunque apta sunt animo, qui est divinae originis reses in homine scintilla, ad altiora dirigendo, velut ad observanda sidera caelique meatuum causas vel maxime reconditas penitus cognoscendas. Huic disputationi finis imponitur versu 251. Iam enim relinquit caelum poëta et revertitur ad hanc terram ea mente: Terrae cognitio primum locum obtinet, caeli perscrutatio secundum, quamquam haec et ipsa dignissima est, quae summa omnium virium contentione instituatur: nam terra, quae est mater nostra, sine dubio 'nobis magis adfinis caelestibus astris'. At vero quomodo solent homunculi hanc terram contemplari? Ita profecto, ut altiora mentis studia neglegant plane atque abiciant, praebeant se caecos, humiles, pusillos, artes honestas plane nihil curantes, immo uni quaestui deditos (258 — 263) glebaeque adstrictos (264 — 272). Versus autem tres, qui sunt 259 — 261, in secundae classis archetypo perquam absurde legebantur post v. 279, qualis ordo versuum exstat hodie in omnibus libris, qui ab illa membrana ducunt originem. Solus excerptor Parisinus, qui eas Aetnae carminis partes elegit, quae praeter ceteras florere viderentur Gallo dulcedine sententiarum ac veritatis lumine — cf. etiam vv. 633 et 634 —, sensit versus illos tres post v. 279 locum non habere, sed esse transponendos. Ac primum quidem versus 258 et 262, qui erant vicini in exemplari excerptoris, vicinos reliquit, nisi quod „ut“ voculam substituit pro tradito „dum“. Iam igitur habuit excerptor:

„Torquemur miseri in parvis premimurque labore,
Ut sese pretio redimant verumque professae.“

Subiectum quod vocatur verbi „redimant“ intellexit excerptor nominativum „parva“ ex ablativo antecedentis versus depromendum. Iam erat subiectum restituendum verbi „professae“. Quid autem?

'Verum' profitentur solae artes: hoc stare videbatur critico. Ilico igitur vocem „artes“ restituendam ratus sequentem versum 263 ita immutavit, ut vocabulum „artes“ induceretur enuntiati subiectum. Scripsit autem haud inscite:

„Turpe! — silent artes viles inopesque relictae.“

Sententia igitur erat haec: „Nos pusilli homines operam insumimus in parvis rebus, modo inde lucrum percipiamus, et artes, quae solae veritatis luce splendent, solae veram spirant hominum salutem, viles iacent atque abiectae. Itaque veram fortunam ante pedes iacentem caeca mente transimus, augendis opibus toti indulgemus atque inservimus nullo labore, nulla opera deterriti. Huic sententiae excerptor versus 259—261, quos post v. 279 collocatos reperiebat, ita subiunxit, ut primo loco versum 261 poneret, secundo versum 259, tertio versum 260 in formam redactum plane novam hanc: „semen ut argenti, quaeratur ut aurea vena“: tum vero cetera inde a verbis „noctes atque dies“ usque ad verba „fenilia campo“ (272) tradito ordine continuavit. Constituit igitur Gallus textum hunc:

258 „Torquemur miseri in parvis premimurque labore,
262 Ut sese pretio redimant, verumque professae
263 — Turpe! — silent artes viles inopesque relictae.
261 Torquentur flamma terrae ferroque domantur,
259 Scrutamur rimas et vertimus omne profundum,
260 Semen ut argenti, quaeratur ut aurea vena.
264 Noctes atque dies e. q. s.“ Omnes hae turbae inde ortae sunt, quod legebat excerptor in exemplari suo „verumque professae“, quod eum commovit, ut „artes“ inferret, de quibus non sermo est omnino hoc loco, sed demum v. 274 sqq. Est autem rectus versuum ordo traditus in solo Gyraldino, qua de re cum consentiant hodie docti, non opus est pluribus defendere Gyraldini memoriam. Neque vero recte se habet traditum in omnibus libris vocabulum „verum“: quae enim ad defendendam codicum memoriam p. 58 exponit Munro, non apta sunt ad persuadendum. Reponendum potius cum Baehrente substantivum „lucrum“, quae est lenissima litterarum nec minus sententiae elegantia commendata mutatio. Contra Maehlyi illud „aurum“ minus placet, quia

nimirum non solum aurum quaeritur, sed etiam argentum et alia pretiosa metalla in terrarum venis abscondita.

Transeo ad Gyraldinum codicem praeter ceteros libros virtute ac praestantia spectatum. Quam autem verum sit illud 'habent sua fata libelli', non potest fere melius illustrari quam hoc exemplo. Breviter quid rei sit enarrabo.

Exstitit olim codex praeter Claudiani opera continens Aetnam nostram, quam librarius propterea ut videtur Claudiano addiderat, quia locis nonnullis Aetnam commemorat Claudianus. Ille codex exaratus erat saeculo fere octavo. Qui autem viri librum illum deinceps possederint nescimus, nisi quod celeberrimus ille Franciscus Petrarcha (1304--1374) ad tempus illum librum possedisse creditur. Circa annum 1500 idem ille 'antiquissimus certe et castigatus codex' in manus incidit Gyraldo, qui, ut ipse aperte dicit (de poëtarum histor. dial. IV p. 259), Aetnam ex eodem illo codice Claudiani ipse sua manu descripsit. Hoc Gyraldi apographon hodie deperditum est, idem fatum habuit vetustum illud exemplar apographi. — At nihilominus scimus hodie, qui in Claudiani codice illo venerabili Aetnae versuum 138—287 exhibitus fuerit textus. Quod qui factum sit, nunc mihi est enarrandum. Atque anno quidem 1482 publici iuris facta est Claudiani editio princeps Vicentina, cuius editionis unum exemplar in usum abiisse efflorescentis tum bibliothecae Laurentianae non miraberis. Iam eodem ut videtur anno 1482 vir doctus nescio quis suo Marte instituit principis Claudiani editionis id ipsum exemplar bibliothecae conferre cum illo vetustissimo codice Claudiani, qui privatim ab homine nescio quo possidebatur, nec non Aetnae partem (vv. 138 —287) atque etiam Claudiani nonnulla sua manu describere et illi exemplari publico adiungere. Cur vero hoc potissimum fragmentum Aetnae ille sibi elegerit, cur in medio enuntiato inceperit, in medio desierit, haud facile dixeris. Fortasse haec carminis pars nondum adeo evanuerat in codice, ut ceterae paginae. Paulo post alter homo illam principem editionem Claudiani ex bibliotheca Laurentiana deprompsit, cuius 'docto desiderio' factum esse videtur, ut versus 138—271 — h. e. longe plurima pars — in illa editione Claudiani hodie sint abscissi, exstent tantummodo versus 272—287, qui adhuc servantur in bibliothecae Laurentianae codice

plut. 33, 9 collati nuperrime a Baehrente. Quae vero fata fuerint foliorum illorum versus 138—271 continentium, statim perspicies.

Servatum erat usque ad finem saeculi XVIII vel paulo longius — nam hodie deperditum esse videtur — exemplar quoddam illius libri Petri Pithoei, qui inscribitur: „Epigrammata et poematia vetera, Paris., 1590". Hoc exemplar editionis Pithoeanae ob eam causam insigne fuit, quia cum ad alia opuscula tum ad Aetnae versus 138—287 in margine multae lectiones variantes eximiae virtutis adnotatae erant ita, ut prolata varia lectione Aetnaea addita ubique legeretur littera „V", cuius litterae vis eadem manu, quae lectiones variantes adscripserat, in aversa parte eius paginae, quae titulum habebat, sic explicabatur: „In Aetna V significat cod. Florentinum, quem inde habuit Ernstius, nempe solum partem illam." Iam exstat eius ipsius Henrici Ernstii (1603—1665) manu brevis catalogus bibliothecae Mediceae Florentinae anno 1641 conscriptus, in quo tamen catalogo nullus talis codex Florentinus Aetnae versus **138**—287 continens enumeratur, neque vero in Bandinianis voluminibus. Hinc recte concludimus Ernstium codicem illum privatim possedisse, quam explicationem etiam suadere, ne dicam iubere videtur illud 'habuit'. Fuit nimirum Ernstius possessor eorundem foliorum, quae 150 fere annis ante ex bibliothecae editione illa Claudiani 'exciderant'. Sed iam in usum vocandum est, quod Burmannus Maior adnotat ad Ovidii in metamorphoseon libro primo versus illos satis vulgatos (85):

„Os homini sublime dedit caelumque tueri
Iussit et erectos ad sidera tollere voltus:"

„Expressit hanc sententiam, ut plures alii poëtae et philosophi, Severus in Aetna 223 (=224 ed. Baehrens):

Non oculis solum pecudum miranda videre
More, nec effusis in humum grave pascere corpus,
Posse fidem rebus, dubiasque exposcere causas
Sacra perurgentem, caput atque attollere caelo.

Ita vulgo legitur . . .; sed legendum ex antiquo codice Mediceo, quem Heinsius contulit, 'tueri', qui et ultimum versum ita exhibebat: 'ingenium sacrare caputque attollere caelo' . . . . 'nosse fidem rerum, dubias exquirere causas' idem codex exhibebat." Haec habet Burmannus. Adnotasse autem Heinsium veterum codicum

varias lectiones in marginibus duorum exemplarium Parisinae Pithoei editionis docet Burmannus Secundus in anthologiae suae Latinae epistola dedicatoria p. 53. Quid igitur veri similius, quam exemplar illud Pithoei ab ipso Heinsio locupletatum esse, qui codicem rogatu suo ad tempus acceperat a possessore Ernstio? Ad versus autem 272—287 varias lectiones e fragmento illo Laurentiano Heinsius ipse enotaverat et subiunxerat iis lectionibus, quas ex Ernstii foliis excerpserat ad versus 138—271. Paulo post codex Ernstianus plane interiisse videtur quasi functus officio suo. Unum, quod supererat, erat exemplar illud Pithoeanae editionis, cuius possessor sine dubio ipse Heinsius fuit, qui sua manu suum ipsius Aetnae exemplar locupletaverat. Post Heinsii mortem (a. 1681) Burmannus Maior heres fuit cum ceterorum Heinsii librorum tum exemplaris illius Pithoeani: post Burmanni Maioris fata suprema (a. 1741) Burmannus Secundus, fratris filius, illud exemplar possedit. Defuncto etiam hoc (a. 1778), quia sine heredibus fuit, sub malleum redactus est liber ille pretiosus et emptor exstitit Kulenkampius professor Gottingensis († 1794), qui dedit discipulo suo Matthiaeo, qui tum in seminario Gottingensi operam dabat Aetnae. Sed tribus demum annis post magistri obitum (a. 1797) Matthiaeus in volumine 59 annalium Lipsiensium, qui inscribuntur „Neue Bibliothek der schoenen Wissenschaften und der freyen Künste“ opes suas doctis aperuit. Illud autem exemplar Pithoeanum ipsum paulo post videtur deperditum esse. Hoc igitur volumen 59 alter fons est, ex quo hauriendum hodie doctis. De altero fonte statim erit dicendum. Ecce enim anno 1756, itaque plus quam quadraginta annis ante Matthiaeum, in actorum societatis Latinae Jenensis a Walchio editorum volumine quinto sodalis quidam ad eandem Aetnae partem (vv. 138—287) easdem fere lectiones vulgaverat, quas Matthiaeus in margine exemplaris sui reperiebat, cum titulo „Lectiones codicis Florentini in Cornelii Severi Aetna“; statim subsecuntur lectiones Florentini libri nude a sodali Jenensi enumeratae ita, ut ubique vulgata lectio praescripta sit. Quaeritur, unde sumpserit eas lectiones sodalis ille Jenensis, num forte ex altero illo exemplari Pithoei, nam Heinsius duo locupletaverat, sed nescimus, num utrumque librum Aetnaeis lectionibus. Sed quid multa, cum ipse Walchius,


director societatis Latinae, in praefatione voluminis illius quinti paucis nostram rem attingat? Hic autem Walchianae praefationis locus, in quem casu incidi, viros doctos plane fugisse videtur, nam a nullo commemoratur, ne a Matthiaeo quidem. Vixit enim inde ab anno 1717 usque ad annum 1756 Jo. Christ. Strodtmannus, qui in Burmanni Secundi bibliotheca reppererat illam editionem Pithoei Parisinam et concedente ut videtur Burmanno lectiones varias ex margine descripserat in schedas, sed parum accurate: ipse autem liber remanebat in possessione Burmanni Secundi. Illas vero schedas Strodtmannus societati Latinae Jenensi consecravit; ex sodalibus autem eius societatis uni traditae sunt a Walchio directore illae schedae, quas praescripta vulgari lectione bene digestas ederet. At vero neque Strodtmannus accurate ex margine descripserat neque sodalis, cui nomen erat Cramerus, accurate edidit apographon Strodtmanni. Sic factum est, ut sat multa Matthiaeo relinquerentur et corrigenda et addenda. Haec est historia codicis Gyraldini. — Hic igitur Gyraldinus vel Florentinus vel Laurentianus vel Mediceus vel etiam Lucensis (fuit enim Claudiani codex Gyraldinus ex urbe depromptus Luca) codex erat plane egregius: plurimi loci antea a nullo homine intellecti subito elegantissima luce splendent: arte autem coniecturali in illis 150 versibus non plura sunt emendanda, quam in ceterae partis 50 versibus. A corruptelis enim Gyraldinus nequaquam vacat: sed semper sunt scribarum vitia libera ab interpolatoris manu pestifera, quod mihi hodie erit demonstrandum, nam editores nondum credunt. At vero archetypus secundae classis scribarum vitiis inquinatus est multo pluribus multoque crassioribus et foedioribus, quam Gyraldinus, et insuper interpolatus haud mediocriter. Quae cum ita sint, haud ita raro Gyraldinus etsi veram poëtae manum non continuo tibi praebet, solus tamen gemmam habet adopertam paullulum et lenissima mutatione inducta emicat subito, quod amplectimur exsultantes, velut in v. 212, ubi 'ferunt' sine dubio recte elicuit Maehlyus ex tradito illo 'terunt'. Munronis probo in v. 165 emendationem „acuatque" pro Gyraldini illo „aquasque": Baehrenti adstipulor in v. 162 „vagantur hiatibus" refingenti; excidit enim illud „ur" in Gyraldino e. gr. etiam in v. 221, ubi Matthiaei emendatio „cohibentur" sat bene firmatur

illo „cohibetur“ ceterorum codicum. Est autem hinc verisimile codicem omnium archetypum scriptura exaratum fuisse langobardica, quae aegerrime legi potest propter litterarum exiguitatem atque tenuitatem verborumque contractam scripturam, maxime autem propter vocabulorum omissos saepissime exitus substituta aliqua superscripta lineola. Omnino, illuc ut redeam, Gyraldinus unius syllabae iactura brevior est hic illic, velut in v. 234, ubi omissum est „ve“ vel „que“, cf. v. 204. Sed haec omnia sunt scribarum. Paucis sane locis in Gyraldino corrupta sunt a scribis, quae ceteri libri integra servaverunt, ut in v. 223, ubi „pigra“ spernendum sine dubio, vel in v. 167, ubi „limite tradunt“ non minus ineptum est ac reiectaneum. Sed haec omnia tetigisse tantummodo hoc loco contentus sum.

Recentes codices Italici saeculi XV etsi originem ducunt a libro aliquo secundae classis hodie deperdito, tamen cum Cantabrigiensi comparati quanto sint deteriores, bene intelligitur, si cum Cantabrigiensi conferimus Helmstadiensem (de quo cf. Ribb. app. Verg. p. 25), qui est omnium Italicorum optimus, quia multo minus Italorum artem expertus est, quam ceteri libri Italici omnes.

Stemma interpolatorum codicum
Aetnam continentium:

Secundae classis archetypus interpolatus corruptus



Quam vero misere sit et depravata et interpolata memoria librorum praeter Gyraldinum omnium, is demum vere intellegit, qui versus 138—287, quales ceteri libri exhibent, comparaverit cum textu Gyraldini codicis primarii. Mihi igitur, qui artis criticae in Aetna emendanda exercendae solida iacturus sim fundamenta, proficiscendum est ab his 150 versibus et hinc accurata et subtili observatione firma enucleanda norma, qua duce res agenda in cetera carminis parte, ubi res critica in conditione versatur multo desperatiore.

Ex interpolato archetypo fluxisse libros praeter Gyraldinum omnes exemplis firmatur ex vv. 138—287 petitis.

De virtute Gyraldini libri viris doctis nequaquam statim convenit: cum enim interpolatoris ita plerumque — non semper — comparata sit ars, ut oblitteratis suturae vestigiis ab ipso poëta profecta esse, quae interpolatori debentur, affirmaturus sit is, qui subtilius observare parum didicerit, primum optimum duxere viri docti aliquantum diffidere Gyraldino, ita ut non vererentur rem plane invertere et Gyraldinum interpolatum esse clamare, defendere Helmstadiensem et postea Cantabrigiensem. Paullatim demum Gyraldinae membranae praestantiam agnoscere didicerunt critici, quamquam ego si Aetnam ederem, magis etiam quam adhuc factum est, Gyraldini vestigia premerem. Transeamus iam ad singula.

Efficax exemplum interpolati secundae classis codicum archetypi tenes in v. 253, ubi sine dubio legendum cum Gyraldino „quaeque in ea“, non „et quae nunc“. Quid enim ineptius hoc loco vocula „nunc“? Neque vero quisquam doctus periculum fecit tuendi hoc interpolamentum. Attamen Wernsdorfius et Meinekius Goralli coniecturam „et quae huius“ in contextum receperunt ita, ut „huius“ referendum sit ad terram et coniungendum cum vocabulo „natura“. Hoc exemplum praemisi, quia est ad persuadendum aptissimum: causam huius interpolationis infra adumbrabo, ubi verba fient de vocabulorum iacturis. — Etiam in sequentibus grassatus est interpolator. Videamus primum v. 256, qui in Gyraldino sic legitur: „in Jovis errantem regno perquirere divos“, quae est elegans atque integra sententia. Sed vide, quid ceteri libri exhibeant:

„in Jovis errantem regno perquirere velle“, quod per se itidem ferri potest, nam perquirendi verbum absolute hic illic usurpatum esse a Romanis nullo negotio tibi exemplis firmabunt, qui partes tuentur Cantabrigiensis, Munro e. gr., qui Cantabrigiensem ‘sicut sacros vetustate lucos’ fere adorat nec non hoc loco Gyraldini illud „divos“ reiciens Cantabrigiensem sequitur, nam „the reading of β (i. e. Gyraldini) must be interpolated.’ Iam igitur fortius pugnandum est. Poëta postquam verba fecit de caeli meatibus, quorum cognitio ac tamquam perscrutatio „divina est animi ac iucunda voluptas“, pergit „sed prior hanc homini cura est cognoscere terram (emendatio „hanc“ mea est) quaeque in ea miranda tulit natura notare.“ Ac primum quidem utrum, quaeso, primo obtutu genuinam originem magis redolet hoc loco, „velle“ an „divos“? Certe „divos“. Quid enim gravius magisve poëticum locutione „perquirere divos“? Est aptissime positum nostro loco, cf. Manil. IV, 908 ed. Jacob: contra istud „velle“ languidius esse quam alterum illud facile concedes. Sed iam dicam, unde ortum esse credam vocabulum „velle“. Ac Jacobus quidem suspicatur adscriptum esse olim, ut quinam intellegendi essent „divi“, dilucide appareret, glossema „stelle“ i. e. „stellae“, quod deinde abiisse sibi persuasit Jacobus in corruptelam „velle“. Non assentior: cur enim non interpretatus est auctor glossematis per eundem casum accusativum „stellas“? Sed omnino reiectanea Jacobi sententia. Mihi autem longe aliter illud „velle“ explicandum videtur. Interpolator haec fere secum cogitavit: „Quomodo tandem potest aliquis re vera in caelo errare et divos perquirere? Tale quid potest velle aliquis tantummodo, temeraria mente velle, nil amplius — invitis Dis!“ Tum vero sine mora verbum „velle“ versui inculcavit eiecto quod desiderari posset vocabulo „divos“. Fortasse etiam inde orta est interpolatoris ars, quod archetypi margo hoc loco aegre legebatur vel etiam abscissus fuit vel simile quid. Sed quaestio nondum est absoluta. Ecce enim praecedens versus eundem interpolatorem magis etiam expertus est quam is, de quo modo vidimus. In Gyraldino perscriptus fuit in hunc modum: „nam quae mortali cuiquam est amentia maior“. Haec versus forma sanissima est profecto, ut sanior non possit cogitari omnino. Nihilominus nonnulli Aetnae editores, inter quos Hauptius et

Munro, sequi maluerunt interpolatorum codicum memoriam. Exstat igitur in Cantabrigiensi:

„nam quae mortalis spes. quaeve amtia maior", in Helmstadiensi: [superscript over "spes.": C est]

"nam quae mortalis spes est quaeve amancia maius", non „quē amancia", ut Jacobus edidit; nam Baehrentis collationi maior fides habenda est quam Lachmannianae in Jacobi editione parum accurate expressae. In Arundeliano denique, quem Munro contulit, haec exstant: [superscripts: e over "amancia", or over "maius"; e over "amancia"]

„nam quae mortalis spes ē quae amātia maior". Vides igitur consentire hos codices in voce „spes" a Gyraldino plane aliena. Iam cum unum tantummodo poëtae esse possit sequitur alterum ad interpolatorem referendum esse: quaeritur utrum. Ut statim dicam, vocabulum „spes" omnino absurdum est hoc loco. Licet enim ad sententiam sequentis versus aliquatenus quadret, contra cum sensu versus 257 quomodo eam vocem consociare velis, me plane fugit. Sed iam liquet, unde orta sit interpolatio: nimirum idem interpolator, qui verbum „velle" substituit, idem inquam criticus 'in Jovis errantem regno perquirere divos' quia ab omni veritate toto caelo abhorrere et sperari tantummodo posse tale quid arbitrabatur, pingui scriptura poëtam temere ita correxit, ut evaderet: „nam quae mortalis s p e s quaeve amentia maior", et praeterea idem ille explendae sententiae causa superscripsit „est", quod cum Cantabrigiensis scriba fideliter supra lineam depinxerit, in Helmstadiensi et in Arundeliano in textum irrepsit. Ceterum „mortalis" vocativum casum pluralis numeri videtur intellegi voluisse interpolator noster, quamquam in hac re certi quicquam vix ausim affirmare: fortasse enim de genetivo singularis cogitavit ille. Sed utut hoc est, Gyraldini horum versuum lectionem integram, ceterorum codicum interpolatam esse satis demonstrasse mihi videor. Nam Baehrentis illud „mortali nequam" inutile est.

Jam vero videamus versus qui sunt 274 sqq. Gyraldinus haec habuit:

„implendus sibi quisque bonis est artibus: illae
sunt animi fruges, haec rerum est optima merces e. q. s.",

quam textus constitutionem verisimile est etiam nostrum interpolatorem in exemplari suo invenisse, priusquam ad criticam artem exercendam se converteret. Conicio autem omnem interpolationis pestem inde ortam esse hoc loco, quod interpolator in exemplari suo interpunctionem reperiebat non ante, sed post vocabulum „illae“ — in fine versus — positam a stolido scriba, qui poëtae mentem nihil curaverat in describendo. Jam venit medicus interpolator ferro ignique instructus. Primum ei displicebat illud „artibus illae“: meminerat enim se didicisse ablativum pluralis „illis“ formari, quod sine mora restituit. Sed iam locus nondum erat persanatus: primum igitur vocis „haec“ ultimam litterulam delevit, nam „fruges“ feminini generis esse auctor Aetnae plane oblitus erat: deinde e contextu removenda erat vocula „est“. Jam restabat: „sunt animi fruges hae rerum optima merces“. Illud autem „rerum optima“ metro non convenire interpolator sat bene vidit, id quod posteritati demonstravit, cum „maxima“ substitueret: iam non exstabat elisio, oratio videbatur fluere. — Genuina igitur poëtae manus haec fuit:

„implendus sibi quisque bonis est artibus: illae
sunt animi fruges; haec rerum est optima merces

scire e. q. s.“, haec enim extrema sunt coniungenda. Atque Hauptius quidem excusandus est, quod Gyraldini lectionem „illae“ omnino non noverat, nam neque in actis Jenensibus neque vero a Matthiaeo in Gyraldino „illae“ exstitisse apertis verbis affirmatur: et nihilominus sine dubio in editionis Pithoeanae margine Florentini codicis lectio „illae“ adnotata fuit; nam dicit Matthiaeus: „Ich lasse hier die ganze Stelle von Vers 256 (=258 ed. Baehrens) an folgen, wie ich glaube, dass sie gelesen werden muss, . . ein paar meiner Koniekturen werde ich gleich in den Text aufnehmen.“ At quid Florentinus haberet, hoc erat diligenter et religiose enotandum! Jam vero in textu Matthiaei legitur „illae“, cui tamen lectioni nihil tribuendum censuit Hauptius, quia arbitrabatur referendam eam esse ad meram Matthiaei artem. At Gyraldini lectionem eam fuisse docet nunc Baehrens, qui versus 272—287 ipse ex codice Laurentiano descripsit: ibi re vera legitur „illae“. Vides etiam in Munronis apparatu formam „illis“ Gyraldino tribui—falso, ut scimus nunc.

Deinde Hauptius arbitrabatur legi in Gyraldino (v. 273) „sic avidi semper quo visum est carior ipsis“, quia nimirum Heerenus, qui multo ante Baehrentem ad vv. 272—287 Laurentianum contulerat in usum Matthiaei, sic testatus erat: at neglegenter rem egerat Heerenus: Baehrens enim legi docet „quovis est“, unde optime elicuit idem „quaevis res“; nam in constituendo versus 273 textu faventibus Musis versatus est Baehrens, cuius emendatio sola quadrat hoc loco: omnia cetera commenta valde claudicant. Olim ego temptaveram: „sic avidis semper quidvis est carius ipsis“, attamen Baehrentis emendationem ut leniorem praefero: sensus plane ad idem redit. Ut hoc addam, in margine editionis Pithoeanae recte adnotatum erat ab Heinsio collatore „quovis est“ — hoc testatur Matthiaeus —, sed neglegenti ista Heereni collatione infringebatur auctoritas huius notae. Ac Wernsdorfius quidem haec in contextum recepit:

„implendus sibi quisque bonis est artibus; illae
sunt animi fruges; haec rerum maxima merces,

scire e. q. s.“ ita, ut „scire“ pendeat ex vocabulo „merces“, quod rectum est. Concinnavit igitur suam sibi lectionem Wernsdorfius ex Gyraldino et ceteris libris. At tota poëtae mens nonne epitheton „optima“ unum requirit hoc loco? De quantitate mercedis non agitur, sed de qualitate. — Quod vero Baehrens voluit in v. 274 „implendum se cuique“, me non habet assentientem. Neque enim probam causam video, quae nos cogat ab omnium codicum consensu recedere hoc loco, cum et ipsa sententia prorsus nobis satisfaciat et latina verba latinitati.

Transeo ad v. 213 sqq. in Gyraldino sic exhibitos:

„spiritus inflatis nomen languentibus aer
nam prope nequicquam pars est violentia flammae.“

Primum textus purgandus est. Quanto autem opere iuvet nos in emendando notitia Gyraldini, quam mire palmaris emendatio vel corruptissimi loci pendeat interdum ex unius litterulae a criticis adhuc neglectae felici usurpatione, hoc dato exemplo in animo est proponere. Pro inepto vocabulo „nomen“ nihil aliud restituendum est nisi „momen“, quae correctura auctorem habet Scaligerum. Sed iam exhausta fuit veterum criticorum ars: tam enim mani-

festam emendationem, qualis est „inflat eis“ pro tradito „inflatis“, Maehlyo reliquere inveniendam. Scribendum igitur:

„spiritus inflat eis (i. e. incendiis) momen languentibus“.

Restant autem et emendationem vehementissime efflagitant diu negatam verba:

„aer
nam prope nequicquam pars est violentia flammae“.

Primum stabiliendum est, quid requirat sententia. Qualis autem fuerit poëtae mens, optime indicatur sana particula „nam“. Postquam enim dictum est: „languenti igni spiritus flando vires addit et momen“ (est enim sermo de tollendis molibus), particula „nam“ continuanda est sententia in hunc modum: „nam sine auxilio venti ignis non tantam tollendi vim habet quantam iuvante vento“. Hoc solum exspectatur, nihil aliud. Vides praeterea versibus 216—218 ei ipsi sententiae finem imponi aptissimum. Jam vero redeat ad ipsa poëtae verba oratio. Quod autem nemini adhuc contigit, ut tenebris illis aliquam lucis speciem afferret, hoc inde factum est, quod omnes litterulam „s“ vocis „pars“ neglexerunt toti in Cantabrigiensi et Helmstadiensi ceterisque libris praebentibus „par“. Sed iam proponam meam huius loci emendationem:

„. . . . . . ardet
nam prope nequiquam per se violentia flammae“,

„per se“ i. e. „sine auxilio venti“ et „nequiquam“ accipe hoc sensu: non ‘pellit corpora,’ cf. v. 216. Eodem autem modo, quo littera ‘s’ perperam vicino vocabulo adiuncta causa fuit corruptelae in v. 161, ubi scribarum erroribus ex verbis „falleri*s* et“ factum est „fallere *s*ed“ (cf. etiam Helmstadiensis lectionem initio versus 185), eadem, inquam, ratione nostro loco verba „per se“ primum abiere in corruptelam „pers e“, quem errorem deinde alter scriba in describendo ita ‘emendavit’, ut scriberet „pars ē (= est)“. Nec minus probabiliter alterum illud a me restitutum est, „ardet“. In v. 285 scribae neglegentia factum est, ut „tenues“ corrumperetur ita, ut evaderet „neve“: itaque litterae ‘t’ et ‘s’ plane perierunt, sicut nostro loco ‘d’ et ‘t’; deinde autem sedem commutaverunt illic litterae ‘e’ et ‘n’, hic ‘r’ et ‘e’. Vide autem, quam apte meo „per se“ respondeat in v. 216 illud „opus auxilium est“. — Sed priusquam dicam de interpolato in libris

praeter Gyraldinum omnibus versus 214 exitu, propter quem tracto omnino hos versus, commentum, quod ceteris omnibus melius est procul dubio, refellam, Baehrentis nimirum: Hauptium enim prorsus infeliciter hunc locum tractasse nemo tam caecus est qui negare velit: idem cadit in ceteros editores plerosque. Baehrens igitur etsi sat bene sensisse videtur, quid fere flagitet sententia, ipsum tamen textum minus bene constituit; vide enim, quomodo sententia progrediatur apud Baehrentem: „spiritus igni momen inflat, hoc autem necesse est fieri, nam iuvante aëre violentia flammae nequaquam par est". Nonne, quaeso, exspectas potius: „nam deficiente aeris auxilio etc."? Deinde autem ob hanc causam maxime accusandus est Baehrens, quod sanae carni cultrum adhibuit: verbis enim, quae sunt „nam prope nequiquam", quid sit integrius, cum de effectibus verba fiant in pellendis corporibus conspicuis, me plane fugit.

Jam in fine versus 214 omnes praeter Gyraldinum libri non „flammae" habent, sed „semper", quod est mihi nunc explicandum. Nimirum id, quod manu tenuit interpolator cuique criticas curas applicavit, exemplar ut omnino foeda neglegentia conscriptum ex manibus prodierat scribae, sic hic illic locos habuit unius vocabuli iactura depravatos a scriba neglegenter omissi lacuna relicta nulla, quod non miraberis, si eundem scribam neglegentissimum totum v. 236 omisisse comperies. Jam interpolator noster, qui in illo exemplari totam Aetnam perlegit, si metrum iusto magis claudicare videret, nonnihil succurrendum ratus metri explendi causa, quae in mentem veniebant, textui inseruit, cum tamen supersederet antea probe operam dare, ut poëtae mentem satis vel intellegeret vel indagaret. Tale autem autoschediasma tenes nostro loco, ubi vilissimum vocabulum „semper" vice fungitur deperditi. V. 239 in exemplari interpolatoris sic perscriptus exstabat: „tempora cur varient anni prima iuventa" omissa voce „ver": continuo particulam „que" vocabulo „prima" adiunxit noster: iam metrum recte se habet, si „prima" animo coniungis cum vocabulo „aestate". Idem de v. 237 dicendum, cuius hanc formam reperiebat interpolator: „nubila cur caelo denuntiet imbres". „Terris" ei videbatur cum vocabulo „caelo" aptissime componi nec non metro satisfacere, quamobrem non dubitabat textum illa voce post vocabulum „caelo"

inserta inquinare. Fuere tamen, qui interpolatam esse dicerent non tam hanc versus formam, quam Gyraldini libri „Panope caelo“ exhibentis. Jam contemptorum Gyraldini duae sunt partes: altera enim, in his Wernsdorfius, sic interpretatur: „Quando caelo Phoebe apparet nubila et obscura etc., coll. Verg. Georg. I, 427 ed. Ribb.:

'Luna, revertentes quom primum colligit ignis
Si nigrum obscuro comprenderit aera cornu,
Maxumus agricolis pelagoque parabitur imber'.“

At hoc est artificiis extorquere interpretationem: sic non loquitur Aetnae auctor, ne omnino quidem, nedum in hoc astrologico excursu, ubi oratio animadvertitur imprimis perspicua. Contra Munro „nubila“ intellegit accusativum casum numeri pluralis generis neutrius sic interpretans; „cur Phoebe ipsi caelo nubila (= nubes), nostrae terrae imbres denuntiet“. Atque haec quidem explicatio item reiectanea, item artificiis impetrata. Cur tandem non statim nominatur Phoebe, sed in nova demum sententia, postquam antecedens versus propter deficiens subiectum omnino intellegi non potuit? Hoc in utrumque cadit, in Wernsdorfium non minus quam in Munronem; deinde autem in Munronis ratione etiam hoc mire cogitatum videtur: „Phoebe caelo (dativ.) nubes denuntiat“; quasi non in ipso caelo veteres gentes lunae cursus absolvi crediderint! Aliter se res habet in Gyraldini scriptura „nubila cur Panope caelo denuntiet imbres“: hic enim „caelo“ ablativus est et supplenda praepositio „de“. Sed mendum contraxit nomen „Panope“ scribae tribuendum, non interpolatori, quem omnino in Gyraldino grassatum esse obstinate nego. Est enim Panope nympha marina a caelo plane aliena. At non video, quid displiceat in Matthiaei invento „Phatne“. Dicebatur enim Phatne locus nebulosus inter Cancri sidera quae vocantur 'Ὄνοι' vel 'aselli,' et credebantur sane illae nebulae, si iusto erant crassiores atque obscuriores, multam pluviam denuntiare, qua de re conferendi sunt astrologi, e. gr. Aratus in diosem. v. 160 sqq. 264 sqq. Praeterea conferas Eratosthenis catasterism. XI cum inscriptione: 'Καρκῖνος, Ὄνοι καὶ Φάτνη'. Jam omnia eleganter decurrunt: versui 237 suum reddidimus subiectum, quod corrupte-

lam contraxerat in primae classis libro Gyraldino, exciderat plane in secundae classis archetypo manum passo interpolatoris, qui versus conficiendi causa temere „terris" textui inculcavit. In v. 235 neglegens scriba archetypi secundae classis particulam „et" omiserat propter sententiam prorsus necessariam: at hic abstinuit ab omni correctura interpolator, quia metrum non hiabat, quia excidisse aliquid noster in perlegendo non sentiebat omnino.

At vero absona ista interpolatoris supplementa quam male in ea Aetnae parte, ubi Gyraldini ope non iuvamur, criticorum ingenia vexaverint hic illic, quo facilius intellegatur, iam afferam exemplum, ubi primus mihi videor veram deprehendisse corruptelae naturam: sunt enim ne duo quidem illi versiculi 567 et 568, qui summam totius doctrinae, qualis in Aetna carmine exponitur, breviter complectuntur, adhuc satis emendati. Cantabrigiensis haec exhibet:

„Terra foraminibus vires trahit, urguet in artum
Spiritus incendi vivit per maxima saxa."

Itali scripserunt „incendit vivus", qua coniectura nihil proficimus. Sed cur ne recentiorum quidem criticorum, quorum huius corruptelae emendationes aegre, ne quid gravius dicam, intelleguntur omnes, ullum commentum stet, statim apparebit ex eis, quae docere in animo est de enuntiati sententia. Ac primum quidem liquet tribus constare orationem partibus ἀσυνδέτως compositis: prima pars est „terra foraminibus vires trahit", altera „urguet in artum spiritus", tertia pars „incendi vivit per maxima saxa" corrupta est. Quaeritur, quae esse debeat sententia huius extremi enuntiati. Iam in Aetnae montis vi atque effectu poëtae iusto iure maxime notanda videtur ingens illa liquentium lapidum eructatio, de qua cum saepius tum in iis, quae antecedunt, uberrime exponitur. Inde a v. 537 explicare studet poëta, qui fiat, ut praedura lapidum illorum materies Aetnaeis ignibus domita liquescat. Huius igitur verae sententiae vestigia suo iure premens Hauptius sic emendavit:

„—, incendi vincuntur maxima saxa."

In hac emendatione valde displicet vocabulum „incendi", sive infinitivum esse voluit Hauptius sive genetivum (cf. opusc. II p. 43):

ille abhorret ab indicativis — et quid tandem accenditur? — hic me offendit, cum potius ablativum casum exspectem. Ego vero genuinam poëtae manum hanc fuisse dico:

„—, incendi vis vincit maxima saxa,“

‚vincit' i. e. 'liquefacit' (cf. 554, 543, 471 etc.): haec est elegans omni ex parte sententia. Verba autem „vis vincit“ in archetypo secundae classis scribae vitio, id quod satis facile fieri poterat, abierant in corruptelam „vivit“, contractione nimirum. Iam autem metro claudicanti subvenit criticus noster inserta temere vocula „per“, quod supplementum huic barbari sermonis alumno convenire videbatur sententiae. Fortasse, quia compendiis scripta erant vocabula „vis vincit“, abierunt in brevem formam.

Item v. 612 nondum recte est emendatus. Describitur enim inde a v. 606 vastissima illa liquentium lapidum eruptio, quae commovit fratres Catinenses, ut singulare illud sanctumque pietatis exemplum auderent. Quaecumque sunt in Aetnae circuitu, omnia capit vorax incendium: obvia quaeque ingenti ferventium undarum impetu tanquam ardenti diluvio sternuntur. Cantabrigiensis haec exhibet:

„Ardebant agris segetes et millia cultu
Jugera cum dominis silvae collesque urebant.“

Helmstadiensis, Rehdigeranus, Arundelianus „milia“ habent et pro inepto „urebant“ „virebant“, quod refingendum esse in participium „virentes“ iam olim videre Itali: non minus forti mutatione opus erat in sequenti versu, ubi illud „tremendum“ Jacobi recte se habet procul dubio. Munro Cantabrigiensis libri vestigia premens quod poëtae reddendum esse censuit „rubebant“, non bene rem egit. Cur tandem non reposuit Anglus verbum „ruebant“, quam in mutationem multo leniorem ipse olim incidi, licet hodie cum Italis faciam: nam quod virentes silvae collesque flammis comburi dicuntur, hoc ipsum, si quid sentio, colorem habet valde poëticum: est enim crudelius tale spectaculum, sed in ipsa crudelitate pulcrius. Utrum porro pro tradito illo „milia“ vel „millia“ reponere velis cum Italis „mollia“ an cum Heinsio „mitia“, non multum refert: utrumque aptum videtur. Sed iam dicendum de corruptela „cum dominis“. Quid enim magis

absonum hoc loco, quam ardentium 'dominorum' commemoratio? Quis tandem sic loquitur? Heinsius elicuit „domibus", quae est proclivis per se emendatio, sed reicienda nihilominus, quia domuum hoc loco nondum mentionem fieri licet, sed demum inde a v. 614. Restat iam Hauptii coniectura „pomis"; sed ne hanc quidem amplector, quia emendationem eam esse, quae rem non absolvat, sed deficiente aptiore invento sit quasi interim substituta, quivis facile sentit: olim ego de coniectura cogitavi, qualis est „iugera, cum dumis e. q. s", quam nunc video etiam Heinsium dubitanter proposuisse, sed haec omnia hodie improbo. Est enim vera medela longe alia via quaerenda: vide igitur, qua fortuna emendem. Notum est nihil fere saepius inter se commutatum esse a scribis, quam vocabula „omnis, hominis, dominis, ominis", cf. e. gr. v. 252 et quae statim addam de v. 470. Reperiebat autem scriba archetypi secundae classis in exemplari suo versum sic perscriptum:

„iugera, c͞m omnis silvae e. q. s." h. e.
„iugera, circum omnis silvae collesque virentes".

Illud autem compendium c͞m falso interpretans, quo nihil se offerebat proclivius, „cum" descripsit noster et aspersit deinde interpolator, fortasse hoc loco etiam ipse scriba, corruptelam „dominis" metri explendi causa et quia credidit eam veram esse lectionem praecedente illo „cum", „dominis" et „omnis" saepe confundi bene recordatus. Ipsi sane poëtae reddere praestat nominativi formam „omnes", non „omnis", sed codices vel optimi sat saepe etiam in nominativo pluralis numeri — nam in accusativo est satis sollemnis ille in īs terminus — praebent formam in īs exeuntem, velut ipsum illud „omnīs" legitur in Vergilii Mediceo Aen. VII, 625 et XI, 362. In Aetna carmine nominativus in īs exiens bis legitur in codicibus, „omnis" (162) et „potentis" (359), quibus locis ego si Aetnam ederem „es" restituerem. Illud vero „circum" quanto opere ex sententia arrideat, nemo est, quin facile mihi concedat. Quid? quod mirum quantum mecum consentit in desiderio notionis „circum" Wernsdorfius, qui etsi pessimum contextum praebet, haec tamen habet in adnotatione: „'millia culta' . . h. e. innumera culta circa Aetnam loca." Unum addam. Coniunge modo illud „circum" animo, id quod licet, etiam cum eis, quae antecedunt. Poëta nimirum suo iure composuit vo-

cabula „omnes“ et „circum“, ut et nos „alle ringsumher“, sed si viveret hodie, illud mehercle non negaret etiam segetes circum et iugera circum arsisse. Ceterum cf. v. 100, ubi haud insulse „circum eat“ mihi videtur Baehrens reposuisse pro illo „cum meat“ codicum, quod ferri non potest. Ecce versu 470, qui in solo Cantabrigiensi legitur, pro inepto isto „hominumque“ nil aliud scripsit auctor nisi „omnesque“, qua mea correctura Baehrentis illud „ac mille“ facile superatur, atque de sententia, qualis restituenda videatur, cum Baehrente me vidos consentire: significat enim ‘omnes’ hoc loco, ut saepissime (cf. e. gr. locutionem ‘omnibus precibus petere’), „alle möglichen“. Ceterum male de hoc loco disputat Munro, qui hominum figuras eas intellegit, quae v. 475 per comparationem ab acie petitam inducuntur. Hoc si aliquam veritatis speciem habere voluisset Munro, debebat saltem transpositionem instituere eam, quam postea Hauptius instituit, qui post v. 475 illos duos versiculos 470 et 471 contextui inseruit additis lacunae signis. At hoc est mutare difficultatem, non tollere. Accepta enim Baehrentis facillima emendatione „stanti pars robore pugnat“ — nam quod Munro temptavit „stantis pars robore pugnae“, hoc vereor ut sit latinum omnino, nedum a sententia sanum — quid melius insequatur quam illud „nec recipit flammas“, non video fere. Quae cum ita sint, non licet vv. 470 et 471 ab eis, quae secuntur, divelli: illud vero non plane negaverim post v. 469 excidisse versiculos paucos, quibus Aetnaea eruptio magis etiam describebatur. Sed utut se hoc habet: illae figurae et facies sunt lapidum figurae et lapidum facies intellegendae, ut apparet ex sequentibus vv. 471 sqq., quos recta interpunctione ab antecedente sermone seiunxit Baehrens. Nam quod alii lapides iamiam toti diffluxere, alii nondum toti, sed ex parte tantummodo sive maiore sive minore sive maxima sive minima, alii prorsus resistere nituntur, hoc ipsum alios aspectus praebere aliis temporis momentis, cum paulatim omnes moles liquefiant, nemo est quin facile animo assequatur. Quod autem „omnes“ reposui pro Cantabrigiensis memoria „hominum“, hoc certe nullum scrupulum relinquet ei, qui quanto opere corrupti sint in Aetna vocabulorum fines, probe perspexerit. V. 462, ut hoc hic statim addam, facile emendatur, si mecum sic legis:

„Nam simul atque movent vires turbamque minantur,
Diffugit extemploque solum trahit undique rimas e. q. s.",

ita ut solum dicatur diffugere et rimas trahere, „movent" autem idem sit quod „moventur", cf. v. 295 et praeterea „provolvunt" v. 469, „volvens" v. 493 etc. Non igitur cum Baehrente facies, qui, ut sanum subiectum quod vocant grammaticum nancisceretur, dubitante voltu „Aetna" proposuit pro eo, quod desiderari possit, „atque". Neque enim saxum vires movet. Sed quoniam v. 612 sanavimus, priusquam redeamus ad propositum, age interiecto brevissimo excursu videas mecum, num vicini fere versus 610 extremum vocabulum vere sanatum in editionibus circumferatur. Ac primum quidem codicum illud „torquet" sine dubio corruptum est, nam sententia prodit molesta, obscura, inepta denique[1]). Est autem una tantummodo ad hunc diem proposita emendatio, quae est Scaligeri, qui „torpet" elicuit, quam coniecturam amplexi sunt Hauptius, Sauppius (v. annal. doct. Gotting. 1874, I p. 487), Baehrens. Hoc tamen torpendi verbum nostro loco non ita significanter dici bene vidit Munro, cum moneret non solere caelum immobile esse ne sereno quidem Jove, nedum in tempestatibus. Et recte quidem! Namque in tempestatibus elementa turbulento impetu concitata pugnare potius et incurrere quam torpere videri facile apparet. Solet sane ante tempestatem torpor quidam desuper incubare, sed non ipsa tempestate exorta, quam nostro loco iam exortam esse ut putemus suadet v. 609, ubi fulgurare dicitur aether. Atque ego quidem non dubito, quin mihi contigerit, ut id verbum restituerem, quod a poëta scriptum est hoc loco, „turguet"[2]). Haec demum apta sententia est atque lenissima medicina restituta.

Neque vero fortior videtur mihi ea medicina esse, quam adhibeo versui 569. Est enim pro inepto quod libri habent „magnificas laudes" reddendum poëtae, quod indicatur versu 574, ubi

---

[1]) Versus enim 610 subiectum vocabulum „aether" esse debet, ut docet sana interpretatio: non licet cum Jacobo et Munrone cogitare de Jove, quae structura non nisi artificio extorquetur et ne extorta quidem sententiae perspicuitate commendatur.

[2]) Verisimile est fuisse in archetypo „turguet", non „turget".

Thebarum moenia commemorantur exstructa saxis magnificae speciei. Lege igitur mecum:

„Magnificos lapides e. q. s.“, i. e. „prächtige Steinbauten“, nam ut pinus sexcentiens dicitur pro nave, cur non lapis vel lapides pro muro, ut Ovid. fast. III, 431:

„Romulus ut saxo lucum circumdedit alto“?

Quae vero temptavere critici „aedes“ vel „urbes“ vel „aulas“, nullum eorum ita quadrat ut „lapides“, si sententiae v. 574 sqq. rationem habueris, ut par est. Bis in carmine nostro „atque“ restituo, ubi „et“ habent libri et editores: alter locus est v. 64, quem sic perscribo:

„validos tum Juppiter ignes
Increpat atque ictos proturbat fulmine montes“,

ubi „ictos“ proleptice sumas. Verba autem „atque ictos“ in libris abierunt in corruptelam „et victo“, quo nihil proclivius. Deinde „atque“ repono v. 593, ubi 'timidus Graiae raptor puellae' contra morem poëtarum (v. Jacobum p. 260) parumque apte dicitur „victus iacere“, postquam Achilles nominatus est et Hector. Fuit enim non heros Paris, sed comior et tenuior adulescens quam fortior et robustior: puellae et fides magis ei cordi erant, quam belli laboriosum et anceps opus. Omnino autem vocabulum „victus“ propterea parum quadrat, quod scimus Paridem a Philocteta sagitta Herculis esse transfixum, deinde ad Oenonen se contulisse, quae cum auxilium suum negasset, Troiam reversum decessisse. Scripsisse autem poetam neque „fixus“ verisimile est neque „fictus“ neque „timidus“ neque vero „vietus“, quod rarius omnino vocabulum ut amplectar hoc loco animum inducere non possum. Nam licet mensura synaeresi bisyllaba defendatur Hor. epod. 12, 7, hoc tamen displiceret, si Achille modo 'impigro' appellato Paris diceretur 'vietus' iacere. Exspectamus enim epitheton, quod respondeat illi „impiger“ et apte dicatur de Paride. Ego vero hoc propono: „hic et Achilles | impiger atque unctus magni iacet Hectoris ultor.“ „Unctus“ idem fere est quod „unguentatus“ vel „delibutus“, velut legitur „uncta Corinthus“ apud Pseudoiuvenalem (8, 113) hoc sensu: „das üppige, geniessende Corinth“. Versus est: „Forsitan imbellis Rhodios unctamque Corinthon | despicias me-

rito." Iam perspicies, quam sint contrariae plane notiones „impiger", quae laborem declaret, et „unctus", quae nobile otium. Valde porro desudatum est in v. 595, quem fortiore medicina adhibita sic ederem:

„nunc Paphiae manantes rore capilli".

Haec demum est liquida sententia, in qua lubenter acquiescimus. Quod autem libri habent „rorantia parte camilli", hoc scribae neglegentiae tribuendum esse censeo. Et licet Hauptius opusc. II p. 165 sqq. egregiam operam dederit, ut refutata lectione „rorantes arte (vel „rorantis (sc. Paphiae) ab arte") capilli" nobis persuaderet poëtam scripsisse „nunc Paphiae rorantes patre (i. e. Oceano) capilli", — a quo textu Baehrentis textus fere non differt, nisi quod „patre" huius lectioni „matre" praefero —, licetque longa et docta disputatione usus sit Hauptius et exempla[1]) attulerit et Graeca et Latina, tamen mea quidem sententia illud „manantes patre (vel 'matre') capilli" tam nude positum nimis fere est durum atque obscurum et abhorret ab Aetnae auctore, quem quidem noverim, — versus enim 13 „ipse suo flueret Bacchus pede" longe alia est indoles, nam, ut Wernsdorfii verbis utar, respicit poëta 'ad uvas pede calcatas et prelo expressas, ut dicat vinum ipsius quasi Bacchi pede h. e. sua sponte, et nullius hominis labore, expressum fluxisse'. Vel hoc ipsum, quod incerti erimus, sitne „matre" an „patre" scribendum, monet, ne poëtae tam rarum molestumque dicendi genus coniectura obtrudamus. Ad corruptelae genus cognoscendum cf. vv. 80, 161, 187, 227, 276 etc. Sed quoniam sumus in coniciendo, videamus statim v. 206. Inde a v. 203 omnia apte decurrunt in Baehrentina editione: at v. 206 medicinam exposcit vocabulum „tantum", quae non paratur, si „tantus" cum Matthiaeo scribimus vel „totus" vel cum Baehrente „tacitus", licet hic quae notio sit exspectanda, optime senserit. Iam cum stet subiectum verbi „vertat" nullum aptius inveniri quam ipsum Ditem, mecum sic lege:

„neu Tartara caelo

---

[1]) Quorum omnium per se longe optimum exemplum est Stat. silv. 3, 1, 41, ubi poëta dicit Herculem „confectum thiasis et multo fratre madentem".

Vertat in occulto (sc. Pluto), clam tum tremit (sc. Juppiter)," 'tum' h. e., cum 'fragor rumpitur tota Aetna et fusca pallent incendia mixta ruina' (v. 201 sqq.). Palam tremere cum sit omnino Jove indignum, tamen Aetnae fragorem audiens non potest non saltem clam tremere: tanta est ignivomi montis maiestas. — Versus 394 extremum vocabulum „fontes" sine dubio sincerum est, „infectae aquae" est genetivus illinc pendens. Sed iam sanandum est illud „eripiantur". Maehlyi autem coniectura „testantur" parum probabilis, idem cadit in ceteras emendationes omnes. Neque vero opus est omnino verbum aliquod declarandi restitui, unde pendeat infinitivus „discurrere", v. quae disputat Wernsdorfius ad v. 391. Iam collato Grat. cyn. v. 440 sqq. (ed. Baehrens, lege a v. 430) et cum grano salis etiam nostri carminis v. 340 sqq. mecum sic corriges:

„Atque hanc materiam penitus discurrere, fontes
Infectae ecce piantur aquae radice sub ipsa."

Tali breviloquentiae, cuius exempla sat multa occurrunt in poëtis, optime convenit illud „ecce". Sententia haec est: „Ecce fontes infectae aquae sub ipsa radice montis piantur et hoc ipso piando demonstratur hanc materiam (alumen, bitumen, sulfur cetera id genus) Aetnam penitus discurrere et infectas esse eius aquas haud leviter". Erant autem piandae i. e. placandae eae aquae, ut vis medicinalis illorum fontium bituminosorum omnem morbum tabemque probe sanaret. Caesura denique est μετὰ τρίτον τροχαῖον, cf. vv. 325, 266, 227, 380, 322 saepius. V. 506 „ecce" corruptum est in formam „esse", nostro loco in litteras „eri".

Redeo ad versum 253, quem primo loco posui. Hic versus sic videtur in interpolatoris libro scriptus fuisse: „quae in ea miranda e. q. s." omissa particula „que". Metro coactus primum praescripsit interpolator „et", deinde autem verba „in ea" eiecit substituens „nunc" plane languidum hoc loco. Iam liquet Baehrentem verum assecutum esse in v. 218, nisi quod si quis velit comma vocabulo „magnus" praeponere, non magno opere repugno. Quod enim in Walchii actorum volumine quinto Gyraldini lectio affertur „magnusque qui sub duce", hoc, ut iam Baehrens recte sensit, ad merum collatoris errorem videtur esse referendum, quos haud ita paucos Matthiaeus correxit. Videtur potius in Gyraldino

fuisse „magnus qui sub duce", quod recte a Baehrente servatum est substituto nimirum ablativo „quo" pro corrupto nominativo „qui", quae erat prolixa emendatio. At vero in interpolatoris textu scribae vitio exciderat illud „quo" vel „qui" aut etiam evanuerat, restabat igitur „magnos sub duce militat ignis", quod commovit interpolatorem, ut cetera nihil curans metri gratia corrigeret „magnosque sub hoc duce", quibus in vestigiis praeter Baehrentem omnes ingressi sunt, aut restituentes

„hic princeps magnusque, sub hoc duce m. i."
aut „hic princeps magnoque sub hoc duce m. i."

Quam vero incredibili fuerit neglegentia scriba archetypi secundae classis, perspicitur in v. 190, qui cum cohaereat cum eo qui praecedit, hinc initium sumam disputationis. Ac versus quidem 189 veram emendationem Hauptio debemus, qui Gyraldini memoriam amplexus pro depravato „signis" optime restituit „signes": sensus autem, quem Hauptius coniectura sua elicuit, hic est: 'ut causam (artificem incendii, cf. v. 198) incendii intellegas et signes, non opus est tibi exigua quaerere ac subtilia indicia, immo 'mille sub exiguum venient tibi pignora tempus'.' Iam corrector noster interpolandi ansam inde sumpsisse videtur, quod reperiebat in exemplari suo:

„non illam parvo aut tenui discrimines ignes":

neglegens scriba litterulam 's' perperam paenultimo versus vocabulo appinxerat. Sensum autem nihil curans credidit interpolator „discrimines" male scriptum esse a scriba pro genetivo „discriminis", quem statim refinxit: iam adiectiva „parvo" et „tenui" casui substantivi erant adaptanda. Extrema autem vox „ignes" re vera legitur in libris praeter Gyraldinum omnibus, qua re haud mediocriter firmatur, quod de interpolationis causa modo conieci. Invenit praeterea versum misere truncatum in exemplari suo interpolator subsequentem hunc:

„mille sub exiguo ponentibus tempora":

verba „pignora tempus" ita coaluerant, ut prius vocabulum plane periret et terminatio tantummodo irreperet in finem posterioris, cuius rei exempla infra plura afferam. Talia vero, qualia sunt „ponentibus" pro genuino „venient tibi" non miraberis, si in

v. 208 idem veniendi verbum eiusdem scribae neglegentia abiisse comperies in faciendi vocabulum. Reliquit intemptata interpolator, quae nesciit emendare: at vero, qua erat consuetudine, voluit sextum pedem addere, ut videretur saltem versus fieri hexameter. Iam cum ipsius versus verba non intellexisset, ne vocabulum adderet plane ineptum, ad sequentia se convertit, ubi legebat „res oculos ducent res ipsae credere cogunt". 'Si res talis est', secum cogitavit ille, 'ut credere cogat, debet vera res esse': statim igitur antecedentem versum explevit ascripta voce „vera". Voluit autem interpolator coniungi „vera res" et suppleri cogitatione copulam „est". Iam vero claudicabant verba „oculos ducent". Continuo interpolavit „oculique docent" sc. veram esse rem, haud inscite profecto! Nam cum scriba male descripsisset „cogunt" pro vero „cogent", quod ut in Helmstadiensi iterum appareret, felici scribae errore factum est, hoc etiam bene se egisse ratus est interpolator, quod in utroque hemistichio praesens tempus restituisset: nam re vera fuisse in interpolatoris libro futurum tempus „ducent", non ut in Gyraldino „ducunt", perquam est veri simile. Ceterum sine dubio cum Schradero futurum tempus reponemus. Unum addam. Cave credideris diu meditatum esse in omni correctura interpolatorem: brevissimo potius temporis spatio credendus est singulos locos absolvisse fugientibus fere iam ad sequentia oculis, nam sat multa ipsius artem manebant. Omnes autem, illuc ut redeam, praeter Hauptium editores vv. 189 et 190 pessime curaverunt. Namque haud ita raro vera poëtae manus restituitur, si concinnes Gyraldini memoriam cum ceterorum librorum textu, velut in v. 263, ubi Maehlyus bene reposuit „vilesque iacent". Gyraldini autem illud „humiles" inde ortum credo, quod praecedit „demum". Matthiaei in v. 221 concinnationem „cohibentur" iam supra probavimus. In v. 139 „ruinas" concinnandum ex Gyraldini illo „minas" et ceterorum memoria „ruinae". Item in v. 165 cum Hauptio legendum „quod teneat": pronomen relativum subministrat hoc loco Gyraldinus, eius vocalem ceteri libri suppeditant. Sed haec satis habeo paucis tetigisse. Redeo ad unius vocabuli iacturam causam interpolationis. In vetustissimo exemplari versus 139 perscriptus legebatur in hunc modum:

„prospectare chaos et sine fine ruinas"

et additum erat in margine a scriba „vastum", quod lapsu calami in contextu se omisisse statim sensit ille. Haec igitur fuit lectio eius codicis, qui — ut hominum cognationes ad codices transferam — erat avus Gyraldini et parens archetypi secundae classis. Jam in Gyraldino fideliter servatum erat illud „vastum" item in margine positum: contra — id quod fuit fere exspectandum — omissum ab archetypi secundae classis scriba neglegentissimo, qui ne ipsum quidem textum curabat, nedum in margine posita! Praeterea extremum versus vocabulum corruptelam contraxerat in utroque libro. Habebat igitur interpolator hunc textum „prospectare chaos ac sine fine ruinae" ('ac' neglegenter positum erat a scriba pro tradito 'et'). Jam vocis „procul" quae fuerit origo, vix opus est dicere; tenes iterum meram interpolatoris artem provocatam claudicante metro. Legerat autem id ipsum vocabulum „procul" in v. 127: itaque recens erat et proclivis eius vocis ad explendum versum recordatio. — In v. 253 vidimus interpolationem ortam esse omissa particula „que". Idem cadit in v. 271: reperiebat in libro suo interpolator „horrea ut": particulam „que" neglegens scriba omiserat: claudum metrum sanabatur appicta ad voculam „ut" vocali 'i'. Sed ne unus quidem ex omnibus editoribus textum praebet non interpolatum. Totum autem versum probata Baehrentis emendatione sic lego:

„horreaque ut satura et tumeant ut dolia musto"

(que . . . et = sowohl . . . als auch). Habet enim Gyraldinus „sature tumeant ut", ceteri libri „saturent tumeant et". Est igitur mea quoque sententia hoc loco memoria omnium codicum scribarum neglegentia corrupta. Usurpatur autem saturandi verbum ubique a Romanis transitivo sensu ita, ut semper sit idem quod „complere", nunquam idem quod „compleri". At „animi et corpora horrea saturant" nemo dicit sobrius. Accedit, quod statim aliud habes subiectum „dolia", quae subiectorum subita mutatio etsi exemplis non plane caret, tamen est duriuscula. Omnes igitur praeter Baehrentem editores male rem egisse iudicandi sunt, quod „saturent" in contextum receperunt. Concedendum sane est

exempla omissi coniunctivi verbi „esse“ in nostro carmine non exstare: at lenitur ea durities epicis poëtis[1]) usitatissima nonnihil eo qui sequitur coniunctivo „tumeant“. Habeo autem praeter Baehrentem etiam Maehlyum assentientem, qui iam olim „satura“ elicuit cetera pessime constituens sic:

„horrea uti satura, spument ut dolia musto“.

V. 142 hunc legebat interpolator:

„incomperta via est tantum effluit intra“;

vocabulum „aer“ plane omiserat scriba, extrema misere corruperat. Subvenit metro ille inserto vocabulo „operum“, quod tamen, si severe rem examinas, sensui loci non satisfacit: est enim sermo hoc loco de aëre e terra profugiente. Deinde e coniectura interpolatoris coniungendum „incomperta via est operum“. Quid igitur sibi volunt extrema illa „tantum e. q. s.“? At vero quod in Gyraldino legitur „aeri“, referendum ad merum scribae lapsum. Omnibus igitur iis locis, ubi excidisse vocabulum aliquod statuimus, deficiens metrum causa fuit interpolationis. Versum autem 227, cuius de priore hemistichio infra videbimus, reperiebat interpolator hunc:

„sacra peringentem caputque attollere caelo“.

Verba „sacra peringentem“ emendare nesciit et ob eam causam intemptata reliquit: sed ut vocabulo „caput“ brevem vocalem 'a' redderet, temere interpolavit „capitique attollere caelum“ inducta hypallage plane monstrosa atque inaudita. Alia mutati casus causa fuit in v. 138, ubi quod legitur in libris praeter Gyraldinum omnibus dativus „densae . . . nocti“ pro ablativo, hoc partim tribuo scribae archetypi secundae classis, partim interpolatori, ita fere, ut credam primum scribam neglegenter descripsisse „densa . . nocti“, deinde huic discordiae parum feliciter succurrisse alterum istum, ut adiectivum substantivo adaptaret ut in v. 189. — Pauca addere iuvat de v. 232, ubi licet consentiant Gyraldinus et Cantabrigiensis in verbis „cursu bis senos“, tamen si cogor cum excerptore Parisino et cum Wernsdorfio Jacoboque et, qui omnibus maior est,

[1]) e. gr. Valerio Flacco, cftr. Matthias Schmitz: de Valerii Flacci dicendi genere quaestiones, Monasterii, 1872, p. 27—37.

Hauptio scribere „cur bis senos cita (cito)", continuo actum est de eo, quod demonstrare volo, prorsus non interpolatum esse Gyraldinum. Ut statim dicam, locus uncis includendus est et sic legendus:

„— haec (sc. luna) brevior cursu bis senos pervolat orbes,

annuus ille (sc. sol) meat —". Poëta, quo est ardore concitatus, sine mora ipse docentis partes agit, ut et v. 236. Et habet re vera Gyraldinus „pervolat", non „pervolet", id quod mihi favet. Cave quidquam mutes in vocabulo „cursu", quem ablativum limitationis cum vocabulo „brevior" coniungendum nullo pacto licet deesse, nam „luna brevior" ineptum est, et „luna" debet esse subiectum grammaticum, nam 'orbita' non 'pervolat', sed 'pervolatur'. In Baehrentis autem commento haec vitupero: primum ablativo „cursu", ut iam dixi, non possumus carere: deinde vocula „sic" est perquam absurda et supervacanea. At vero in fine v. 234 quod „cura" legitur in Cantabrigiensi, hoc inde explicatur, quod scriba archetypi secundae classis ex sequentis versus 235 exitu „iura", qua erat neglegentia, huc perperam transtulerat per oculorum lapsum „cura", cuius lectionis quicumque in emendando presserunt vestigia, falsa via ingressi sunt omnes. Veram lectionem iterum solus habet Gyraldinus:

„quae certo sidera currant
Ordine, quaeque suos servent incondita motus":

age vocabulum „suos" voce efferas, nam hoc nisi facis, locum non intellegis et mutas fortasse male cum Baehrente. Opponuntur enim inter se sidera, quae certo ordine currunt, igitur ea sidera, quae quoniam semper singulos quasi greges conficiunt, animo solemus certis quibusdam fictis imaginibus circumscribere gregatim ea complectendo — hae sunt stellae fixae — et ea sidera, quae suum motum servant, quae sunt incondita i. e. nulli fixae constellationi addicta: hae autem stellae sunt planetae et cometae; planetae, quos quinque noverant veteres, videbantur quasi errare inter sidera fixa haec nihil curantes et suis potius itineribus labentes, quae tamen ipsa servabant religiose.

Quid vero iudicabimus de causa variantium lectionum, quales hae sunt:

Gyraldinus		ceteri libri
203	tantos	magnos
245	pandant	tendant
249	congesta	digesta
258	terimurque	premimurque
267	plantis	platanis
281	intendat	impediat
282	reperta	repente
„	est	sit ?

Si Aetnam ego ederem, omnibus his locis sequerer Gyraldinum, quia huic libro omnino maior tribuenda est auctoritas. Sed ineptae ne ceterorum quidem lectiones omnes. Facillime si cum ceteris quae proposui exemplis comparas, refelleremus illud „digesta" v. 249 et illud „impediat" v. 281. Sed quidni dixerit poëta de Aetnaeis ignibus „magnos ignes", licet insequatur verbum „miratur", quidni coniunxerit „lintea tendant", licet usitatius sit „lintea pandere", quidni „premimur labore", licet praecedat vocabulum „torquemur", quidni „unde repente quies et multo foedere pax sit"? Mea quidem sententia eae tantummodo variae lectiones, ubi causa potest indagari, quae interpolatoris artem excitaverit, interpolatori tribuendae sunt, ceterae scribae feliciori ut ita dicam neglegentiae, aut etiam sunt glossemata. Jam vide, cur in vv. 281 et 282 interpolatoris manum suspicer. In v. 281 legit ille:

„nosse quid intendat ventos, quid nutriat illos",

non „ignes", sed „illos", nam „illos" habet Cantabrigiensis. At vero scriba libri illius, quo usus est interpolator, ultimum vocabulum „illos" neglegenter posuerat: fuit enim in vetustissimo exemplari „ignes", servatum in Gyraldino, arte restitutum in Helmstadiensi vel etiam felici errore, nam constat talia qualia sunt „igni" et „illi", „ignis" et „illis" saepius confusa esse a scribis. Jam ut esset, quod opponeretur illi „nutriat", continuo interpolavit noster:

„nosse quid i m p e d i a t ventos, quid nutriat illos".

Versus sequentis coniunctivus „sit" item profectus est ab interpolatore illo, qui modum versus 282 modo versus 281 adaptandum esse credidit, cum tamen constet solere fere poëtam nostrum con-

fundere modos in oratione indirecta, vide e. gr. v. 198 coll. v. 276. In v. 258 illud „terimur“ fortasse nimium visum est critico, quamobrem „premimur“ correxit ut lenius verbum. Praeterea interpolatori tribuerim illud „digesta“ in v. 249. Videtur enim cogitasse ille, qui veram sententiam poëtae parum examinaverat: „Si diligenter congesta atque collecta sunt omnia, quae disiecta fuerunt antea, bene se habet veri inquisitio investigatioque. Non licet nobis digestas pati res, sed opus est eas colligere bene et disponere: haec fuit poëtae mens.“ Continuo igitur interpolavit „digesta“. Voluit autem poëta hoc: „Non licet nobis omnia promiscue et sine ordine in eundem locum coniecta pati et adoperta ‘acervo rerum’, sed opus est protrahere singula atque eruere ex molibus superiniectis protractaque diligenter disponere atque ordinare“. At vero illa, quae sunt ‘magnos’, ‘tendant’, ‘platanis’, quia non video, quid displicere potuerit interpolatori in tradito textu, tribuenda erunt scribae illius neglegentiae, qua ut sensus non turbaretur, ‘mero’ casu factum est, non dixerim ‘miro’, nam talia haud ita raro reperiuntur apud omnes fere scribas vel neglegentissimos, ut qui plane ignari linguae Latinae fere numquam fuerint. Sed hactenus de interpolatore.

Quid igitur bonae frugis ex tota hac disputatione percipitur? Primum didicimus Gyraldinum librum fuisse prorsus non interpolatum; deinde autem, quanto opere interpolatus fuerit archetypus secundae classis et quae fere causae fuerint ac rationes istarum interpolationum: vidimus interpolatorem non solum interpolasse, sed quod multo est iucundius — interpolantem. Eodem autem modo, quo in hac parte carminis rem egit, etiam in cetera parte eum grassatum esse cum omnino veri sit simile, tristibus animis valere iubemus Gyraldinum nostrum. Sunt loci, quorum genuinus textus erepto nobis Gyraldini auxilio vere restitui vix umquam poterit: tantum iam nunc perspicimus. At vero licebit critico, ubi primum detexerit interpolationis sedem, id quod haud ita proclive erit ubique, immo satis interdum difficile, plurimis locis plane negatum, non timide conicere, sed audacter. Tota vocabula licebit funditus tollere, plane nova substituere dissimillima. Quamquam quo altius ascendit audacia, eo magis cadit fides. —

Iam vero de altero illo, scilicet de neglegentia scribae ar-

chetypi secundae classis, cum uberius exponere parum videatur fructuosum, satis habebo gravissima quaedam ad hanc quaestionem pertinentia ex schedis meis hic proponere paucisque adumbrare. Ac primum quidem scriba ille textum ante oculos habuit nequaquam incorruptum ac sincerum: huius rei exempla adsunt, quotiescumque memoria Gyraldini accurate concinit cum ceteris libris et tamen reicienda est lectio, e. gr. 'causa' (152), 'causis' (158), 'venti' (171), 'artus' (182), 'arcent' (194), 'tantum' (206), 'robustis' (209), 'inflatis—nomen—aer' (213) etc. Hae igitur corruptelae sunt vetustissimae omnes. Hic illic scriba, quae iam in exemplari aliquam corruptelam contraxerant, magis etiam corrupit, velut „vacant hiatibus" (162) pro vero „vaganť (=vagantur) hiatibus" descripsit „vacat hiat impetus"; „pars est" (214) abiit in ineptum illud „par est", quod editores diu male vexavit; pro corrupto „quovis est" (273) pinxit „qua visum est"; pro absurdo „multum" (277), ubi „mutum" cum Hauptio reponendum, substituit „multos" etc. Sed etsi hic illic corruptelas habuit vetustissimum illud exemplar, in universum tamen ea fuit praestantia, ut, dummodo aliqua diligentia rem egisset scriba archetypi secundae classis, in optima conditione versaretur hodie res critica. Sed iam finge tibi hominem, qui incredibili atque inaudita neglegentia descripserit exemplar suum poetae mentem non flocci faciens in describendo. Complures corruptelae aliter non possunt explicari omnino, nisi ita, ut scriba ille uno oculorum obtutu duodecim vel plura verba simul ex exemplari suo hausisse et deinde ea scripsisse credatur illo non iterum inspecto, foedissime ea perturbans atque inquinans, quotiescumque memoria labebatur et falsa aut male notata suppeditabat fugienti calamo. Sat multa huius scribae menda omnem normam plane fugiunt: quo fit, ut magna nobis liceat audacia uti in Aetnae emendatione ita, ut fortiora remedia interdum praeferenda fere videantur lenioribus: hoc non permittit solum, sed docet etiam comparatio Gyraldini. Sed mittamus normam fugientia. Pauca tamen iuvat componere haec:

I. Duos versus (186 et 236) totos omisit scriba: licet igitur in emendanda Aetna lacunas suspicari.

II. Sat saepe scriba singula verba omisit, qua de re supra est expositum.

III. Traiecit neglegenter versus 259—261 post v. 279: licet igitur in emendando versus transponere.

IV. Transposuit singula eiusdem versus verba, corrupit transposita: exempla adsunt:

v. 161 G: certo tibi lumine res est
scriba: tibi lumine certaque retro

v. 187 G: sedes tantarumque area rerum est
scriba: tantarum sedesque arearum est
('area rerum' arte distractum apparet in Helmstadiensi.)

v. 227 G: ingenium sacrare
scriba: sacra peringentem
(cf. Verg. georg. II, 382 ed. Ribb.)

v. 276 G: terrae natura
scriba: natura terra.

Licet igitur in emendando Aetnae poemate verba transponere et insuper mutare transposita haud mediocriter.

V. Corrupit scriba exitus nominum et verborum, quod referendum est ad compendiosam plerumque, quam ante oculos habuit, scripturam, e. gr.

	G.	scriba
159	ora	oris
169	densa	densi
170	notus	noto
172	soli	solo
179	ipsae	ipsi
187	illi	illis
190	exiguum	exiguo
194	operi	operum
197	Aetnam	Aetna
207	arenae	harena
208	ullis	ulli
212	causae	causa
216	corpora	corpore
226	rerum	rebus
231	lunae	luna
233	sidera	sidere
265	usum	usu

	G.	scriba
269	ulmis	ulmus
277	multum	multos
169	premit	premunt
206	vertat	vertant
223	laboratis	laborantis
286	surgens	surgit

Licet igitur collatis conferendis casus mutare nominum, formas verborum.

Sed quid plura? Falsa via ingreditur, qui in Aetna emendanda nimia anxietate curat rem palaeographicam: per hanc poteris tuo iure unamquamque litterulam substituere pro unaquaque: sententia cum sermonis consuetudine et rei metricae norma bene consociata, si in ullius carminis Latini, in Aetnae depravatissimi poëmatii emendatione una dominator, una nos ducito, non litterae. Cum sententiae sanitate aut infirmitate omnis fere emendationis

'statque caditque fides'.

CAPUT II.

De Aetnae poëtae cum Seneca conspiratione.

De tempore, quo conscriptum sit Aetnae poëma, nondum consentiunt viri docti. Ecce recentissimus Aetnae editor saeculo Augusteo sibi persuasit asserendum esse neque vero exstitit adhuc, qui Baehrentis opinionem infringere conaretur planeque refellere. Atque in hoc quidem unus est omnium hodie consensus terminum ante quem scriptum sit poëma, annum esse 79 p. Chr. n., ut quo tempore celeberrima illa Vesuvii eruptio acciderit in carmine nostro non commemorata, cum tamen exemplis rem exornare quam efficacissimis unice in deliciis habeat auctor poëmatii, quod confirmatur ratrum Catinensium fabula uberius exposita nec non aliis orationis fluminibus ornandi causa hic illic additis. Omnino autem, si post annum 79 ortum esset poëma, Vesuvii, non Aetnae titulum in fronte

gereret. Sed iam videndum, de Aetnae tempore natali quid possit stabiliri praeterea. Senecam autem philosophum cum constet extremis quattuor fere vel quinque annis vitae suae, h. e. intra annos 61 et 65, conscripsisse quaestiones suas naturales — quae initio libri VI exponit Seneca, ad annum 63 p. Chr. n. referenda sunt; cf. praeterea verba „senex" et „senectus" l. III praef. §§ 1 et 2 —, si mihi continget, ut Senecae id ipsum opus studiose lectitasse Aetnae auctorem demonstrem et in pangendo carmine in usum vocasse, saeculo Augusteo non posse asseri poëmatium nostrum concedere nullus dubitabis, sed actum esse de Baehrentis sententia sine mora intelleges. Priusquam autem, quatenus conspiret cum Seneca Aetnae auctor, disquiram, accuratius pertractare in animo est, quibus causis permotus quibusque argumentis innixus Augustei aevi Baehrens susceperit patrocinium. Quam autem leviter hic rem egerit vir doctissimus, statim splendide elucebit. Affert enim ibi ut gravissimum idque novum plane argumentum ratiocinationem hanc: „nam poeta, quod v. 425 sqq. regionis Campanae vim vulcaniam extinctam dicit, idcirco necesse est scripserit ante a. 63 p. Chr. natum, cum inde ab hoc tempore ignem sepultum Vesuvii oraeque adiacentis resuscitatum esse certissimis signis, terrae motibus, cognossent". Deprompsit autem Baehrens, quae de Vesuvio monte monuit, ex ipso illo initio libri sexti naturalium quaestionum; conferendus etiam Tacitus, qui ann. XV, 22 ad annum 63 p. Chr. n. haec habet: „et motu terrae celebre Campaniae oppidum Pompei magna ex parte proruit". Sed iam videamus quaeso nostri carminis versum a Baehrente loco supra laudato citatum, qui est 426. Quid tandem praebent ibi codices? Nimirum textum longe alium, mendosum illum quidem, sed emendandum: habent enim:

„Cerne locis etiam similes arsisse cavernas",

quod cum apto sensu careat, ferri nequit. Neque enim „locis" sana mente affirmaverit quisquam idem valere quod „aliis locis": ac ne sic quidem staret illud vocabulum, nam quod sequitur „illic" necesse est ad certum quendam locum referatur, qui fuit in eo ipso versu, qui praecedit, nominandus. Misso igitur infelici Munronis commento videamus, quid ceteri viri docti proposuerint: Jacobus „cerne etiam Nolae", Sauppius „Nolae scis etiam" tem-

ptaverunt, Baehrens maiore etiam audacia „cerne Vesevi etiam“: voluit „Ves*e*vi“ Baehrens, ut et ipse in tertio P. L. M. volumine correxit, non „Ves*u*vi“, quae forma legi metricae foede repugnaret hoc loco. Omnes hae coniecturae Vesuvium montem spectantes quanto opere claudicent, vel inde apparet, quod a litterarum ductu ne una quidem probabilitatis speciem praebet: sed ne sententia quidem de Vesuvio cogitationem admittit, nisi forte Baehrentis argumento fidem habeas. Nimirum non „locis“ scripsit poëta, sed „Locris“. Intellege urbem, quae est Locri Epizephyrii, sitam in Bruttiis. Fuit autem tota Bruttiorum terra, quippe quae ad Aetnam spectet et ad Vulcanias quae vocantur insulas, quales sunt Strongyle vel Rotunda (v. 435) et Vulcania (v. 440), terrae quondam et motibus celebris et ignibus, quarum virium semper est artissimus causarum conexus: est enim Vulcanii ignis eruptio e doctrina omnium, etiam Senecae, nil nisi terrae motus ad fortiorem vim auctus. Siciliam iam pridem divulsam ab Italia olim tamen cum ea cohaesisse est nota res, cf. Sen. N. Q. VI, 30, 3. Quid? quod Rhegium, quae urbs haud ita longe abest a Locris, a verbo ῥηγνύναι, non insulse vel nomen duxisse creditur, cuius rei testis est Strabo, qui VI C. 258 haec habet: „᾿Ωνομάσθη δὲ ῾Ρήγιον . . διὰ τὸ συμβὰν πάθος τῇ χώρᾳ ταύτῃ· ἀπορραγῆναι γὰρ ἀπὸ τῆς ἠπείρου τὴν Σικελίαν ὑπὸ σεισμῶν ἄλλοι τε κἀκεῖνος (sc. Αἰσχύλος) εἴρηκεν· ἀφ᾽ οὗ δὴ ῾Ρήγιον κικλήσκεται“, cf. etiam Plin. nat. hist. ed. Detlefsen III, 8 initio. Quid igitur omnino veri est similius, quam etiam finitimorum Locrensium agros multis vel etiam plurimis ante Chr. n. aevis similiter fuisse illis πάθεσι quae dicit Strabo expositos atque Rheginos, quod per se probabile eo etiam probabilius fit, quod utraque urbs mari adiacet, omnis autem ora maris vel maxime illis casibus est obnoxia; cf. Sen. N. Q. VI, 23, 4 „frequentissime mari adposita vexantur“ et N. Q. VI, 26, 5 „adice nunc, quod omnis ora maris obnoxia est motibus“. Longi autem aevi non fuisse videtur ille ignis Locrensis, immo ut ipse ait poëta

„quod nullas adiunxit opes, elanguit ignis“,

quo factum est, ut certiora de illarum regionum pristina natura ac ratione non simus edocti hodie: solebant enim eiusmodi mala veterum animos commovere praesentia tantummodo, extincta quis magno opere

curabat? Hodie Bruttiorum terra Calabria vocatur, est autem hodie tota Calabria, ut cum Daniele loquar (Handbuch der Geogr. II. tom. p. 270), „von der glühenden Sonne und einem Heerde unterirdischen Feuers zugleich erhitzt". Iam eo loco, ubi olim fuere Locri Epizephyrii, hodie nihil exstat nisi perpaucae quaedam ruinae, quae ne nomen quidem servavere. At vero ei urbi, quae proxime abest ab illis ruinis — multo propius dico quam Reggio — hodie nomen est Oppido. Anno autem 1783 p. Chr. n. ipsa haec urbs Oppido et omnes in circuitu urbes, quales sunt Palmi, Seminara, Scilla, Reggio, aliae subterraneis ignibus concussae corruere et funditus sunt deletae: hodie sane denuo exstructae multo, ut fere fit, nitent elegantius: cf. Danielem l. l. p. 271 et praeter ceteros de Hoffii librum, qui inscribitur: „Geschichte der durch Überlieferung nachgewiesenen natürlichen Veränderungen der Erdoberfläche", Gotha, 1824, in quo opere tom. II p. 234 sqq. uberrime et accuratissime est de illius anni strage expositum. Antiquum autem unum afferre possum testimonium ab amico quodam monstratum, quod ipsos illos Locros Epizephyrios Vulcaniis casibus expositos fuisse tam luculente doceat, ut omnis de virtute emendationis meae dubitationis vel umbra evanescat. Namque in Statii silvarum libri II carmine VI inde a v. 60 haec leguntur:

„O quam divitiis censuque exutus opimo
Fortior, Urse, fores! si vel fumante ruina
Raptassent dites Vesuvina incendia Locros,
Seu Pollentinos mersissent flumina saltus,
Seu . . . ., paterere serena
Fronte deos." Adloquitur poëta Flavium Ursum, quem consolatur de amissione pii cuiusdam famuli. Iam igitur haec vult Statius: „Si tu, Urse, iacturam fecisses divitiarum vel praediorum atque fundorum, ea iactura non tantum dolorem tibi moveret, quantum ipsa illa fidelissimi famuli amissio." 'Vesuvina' incendia intellegenda sunt sine dubio vulcania omnino, quod dictum est ex poëtarum more illo notissimo, de quo exponere hic non attinet. Recte Marklandus in editionis p. 115 haec habet: „Constructio est: 'si Vesuvina incendia fumante ruina undassent — sic Marklandus pro vulgato „ructassent" (hac de re non disputabo, nam

de sententia dubitatio esse non potest) – dites Locros', fundos et praedia tua circa Locros, Bruttiorum urbem." Possidebat videlicet Ursus aut ipsis Locris aut in Locrorum circuitu fundos et praedia. Quid vero? Statius, si Locri Vulcaniis ignibus nullo modo fuissent obnoxii, quomodo tandem potuit illos versus conscribere? Futtilis igitur est ista Baehrentis argumentatio e v. 426 petita et post annum 63 scriptam esse Aetnam quominus credatur, ille versiculus prorsus nihil impedit. Cur autem Augusti potissimum aevo iniungat poëma nostrum, hac de re tacere placuit Baehrenti: dicit enim (p. 31): „ . . neque in rebus adest, quod carmen tempore Augusteo non scriptum esse demonstret. Huic igitur saeculo Augusteo adsero Aetnae poëtam ignotum." Cur, quaeso, non Tiberii vel Caligulae vel Claudii temporibus scriptum esse sibi persuasit Baehrens carmen nostrum, cum tamen hi quoque imperatores ante annum 63 fuerint? — Transeamus iam ad quaestionem gravissimam diligentius tractandam, quae est de nostri poëtae cum Seneca conspiratione.

Seneca in operibus suis carminis nostri quod ne verbo quidem mentionem fecit, cum in sexto maxime libro naturalium quaestionum, sed etiam alibi sescenties aptissima ei se dederit occasio, quam totidem vides sprevisse eum, quem scimus insertis poëtarum versibus sermonem suum variare atque exornare apprime studuisse (cf. e. gr. Haasii indicem s. v. 'Vergilius' et 'Ovidius'), — inde hoc mihi videtur pro certissimo effici Senecam poëmatii nostri, si ante eum factum est, prorsus nullam habuisse notitiam. Quod omnino parum probabile esse quivis intellegit vel obiter rem animo ponderans. Sed quid multa? Non poterat novisse carmen nostrum Seneca, nimirum quia post eius tempora ortum est. Cui rationi optime congruit, quod exponere in animo est de conspiratione Aetnae auctoris cum Seneca, cuius cum cetera opera tum naturales quaestiones studiose legisse nostrum statim tibi comprobabo. Etsi enim hoc quidem luce videtur clarius poëmatii nostri auctorem praesentem vidisse Aetnam montem eiusque naturam observasse diutius, de causis tamen eruptionum, quia profecto non poterat ipse in cratera descendere, quid placeret philosophis, diligenter fuit circumspiciendum. Si vero post Senecam fuit Aetnae auctor, nullius scripta melius illam discendi cupiditatem poterant

explere, quam Senecae, cuius mirum quantum illis temporibus cum a philosophia tum a naturalium rerum cognitione valuit auctoritas.

His quae iam secuntur paginis cogitandi atque etiam dicendi, sed maxime cogitandi similitudinem — haec enim maior est — enarrabo intercedentem inter Senecam et Aetnae auctorem, qui Cordubensem suum probe legit atque adamavit: in hac autem re demonstranda interdum ne minora quidem sprevi, quae per se nihil demonstrarent, sed quia sunt plura, demonstrant. Eis locis, ubi Seneca aliorum virorum doctrinas exponit, si certus eram Senecam sive expresse sive tacite consensisse cum eis ipsis verbis — nil amplius —, quae quidem laudaverim, ita rem egi, quasi ipse Seneca loqueretur, quod facere ut editores ita me eo magis licebat, quia, ut non omni ex parte probasset haec illa Seneca, tamen quodcunque scriptum legit in naturalibus quaestionibus Aetnae auctor, erat profecto a Seneca scriptum. Et quanto opere concinat noster cum ipsius Senecae sententiis in rebus gravissimis, hoc si quisquam ego ipse cognovi. Quae igitur dispersa leguntur hic illic in commentariis Wernsdorfii, Jacobi, Munronis denique, haec omnia diligenter collegi et disposui, male laudata silentio praeterii, nova ipse addidi sive tacite sive expresse plurima[1]).

Priusquam autem in ipsam geologicam doctrinam, qualis a Seneca et Aetnae poëta exponitur, accuratius inquiramus, si quid praeterea cogitandi similitudinis inter utrumque philosophum intercedentis poterit erui, hoc praemittam.

Ac primum quidem occasio invehendi in poëtas, quippe qui vana atque inutili imaginatione res fictas procrearent et ab omni

---

[1]) Laudabo Senecae naturales quaestiones numeris Haasii, cuius editio est novissima. Ceterum hoc liceat effari hac data occasione elegantem naturalium quaestionum editionem et quae severiori iudicio et exactiora postulare solito satisfaciat, desiderari adhuc: plurimae corruptelae nondum sanatae clamant poscuntque manum emendatricem, haud paucae lacunae nondum detectae subtilitatem indagatoris et supplementa sua, immo toti libri, ut tandem aliquando vero ordine ponantur: in re exegetica Ruhkopfius (a. 1811) Koelerusque (a. 1819), in re critica Fickertus (a. 1845) et Haasius (a. 1852) non multa reliquere corrigenda aut addenda novo editori, sed plurima.

veritate ac natura abhorrentes, identidem avide est ab utroque auctore arrepta: quid? quod totum exordium poëmatii usque ad v. 94 contra poëtarum mendacia atque alucinationes est compositum, cf. praeter v. 29 maxime vv. 74—91. Iam videamus Senecam. In consolatione ad Marciam 19, 4 haec leguntur: „Cogita nullis defunctum malis adfici, illa, quae nobis inferos faciunt terribiles, fabulam esse, nullas imminere mortuis tenebras nec carcerem nec flumina igne flagrantia nec oblivionis amnem nec tribunalia et reos et in illa libertate tam laxa ullos iterum tyrannos[1]. Luserunt ista poëtae et vanis nos agitavere terroribus.“ Qua cum oratione cf. Aetnae vv. 77—84. Eadem est similitudo Aetnae vv. 87—90 cum loco quodam in Senecae ad Gallionem de vita beata dialogo 26, 6, ubi haec exstant: „Sic vestras hallucinationes fero quemadmodum Iuppiter optimus maximus ineptias poëtarum, quorum alius illi alas inposuit, alius cornua, alius adulterum illum induxit et abnoctantem, alius saevum in deos, alius iniquum in homines, alius raptorum ingenuorum corruptorem et cognatorum quidem, alius parricidam et regni alieni paternique expugnatorem.“ In eandem sententiam dicta sunt de brev. vitae 16, 5 haec: „Inde etiam poëtarum furor fabulis humanos errores alentium, quibus visus est Jupiter voluptate concubitus delenitus duplicasse noctem.“ Pergit autem Aetnae poëta v. 91 sqq.:

„Debita carminibus libertas ista, sed omnis
In vero mihi cura.“

Verum autem sensuum nostrorum testimonio vel optime comprobatur: diffide poëtis, fide oculis solis, haec est primaria lex, cf. vv. 136, 179, 191, 332, 449 sqq., 549. Etenim ‘ineptiae poëtis relinquantur, quibus aures oblectare propositum est et dulcem fabulam nectere’ (de benef. I, 4, 5): nam ‘poëtae non putant ad rem pertinere verum dicere’ (de benef. I, 3, 10). Adde N. Q. VI, 18, 5, VI, 26, 3, II, 42, 1. Est igitur contemptio omnis poesis, quae quidem a vero ac sobrio recedat, Aetnae auctori egregie communis cum Seneca. Quia autem poëtarum mendacia credula mente solet vulgus amplecti, hoc ipsum poëtae non minus invisum, quam illi

[1]) adde ep. 24, 18.

cf. v. 367 coll. v. 370 nec non vv. 74 et 512. Etiam Seneca ad Gall. de vita beata 2, 2 vulgus dicit veritatis pessimum interpretem et N. Q. I prol. 15 vulgi dementiae opponit sapientiam professos. Ad philosophiam confugiendum est, si volumus tuti esse a volgo (ep. 14, 9 coll. 14, 11), cui dissimiles esse debemus (ep. 5, 6). — Omnia suas causas habent: „Illud quoque proderit praesumere animo, nihil horum deos facere, neque ira numinum aut caelum concuti aut terram: suas ista causas habent e. q. s.“ N. Q. VI, 3, 1. Similiter disserit et Aetnae poëta vv. 32—35 coll. vv. 92 atque etiam 25, ubi „causa perennis“ lego cum Italis. — N. Q, VI, 4 quaestionem movet Seneca, 'quid sit, quod terram ab infimo moveat'. Iam adversario, quem induxit hoc dicentem: „Quid erit operae pretium?“ respondet philosophus: „Quo nullum maius est, nosse naturam“. Quid enim est praestantius, quam rerum „causas inquirere (= Aetna 226) et quidem toto in hoc intentum animo? Neque enim illo quidquam inveniri dignius (= Aetna 223) potest, cui se non tantum commodet, sed impendat“, sc. animus N. Q. VI, 3, 4. Nos vero quid solemus facere? „Naturam oculis (= Aetna 224), non ratione comprehendimus“ N. Q. VI, 3, 2. Simillime disputat et Aetnae auctor inde a v. 219 ad v. 282: vide praeter ceteros vv. 223—226, 251. Ullane maior cogitari potest dementia, quam Aetnaeum opus caeca et hebeti mente transire (Aetna 257)? Sed „ita . . compositi sumus, ut nos cotidiana, etiamsi admiratione digna sunt, transeant“ N. Q. VII, 1, 1. „Ignorantibus verum omnia terribiliora sunt, utique quorum metum raritas auget“ N. Q. VI, 3, 2: idem ille metus et pavor ignorantium, qui ingenuo studio ac labore expellendus est, redit et in poëmatii v. 279, ubi legitur „non subito pallore sono e. q. s.“ Ergo toto pectore inquiramus in verum, Aetna vv. 91—92. — Vv. 231—247 bene declarant, quanto astrologiae amore captus fuerit Aetnae auctor: idem cadit in Senecam, cuius naturalium quaestionum totus liber VII in cometarum pertractatione consumitur: lege modo huius libri cum totum primum caput tum eius capitis verba haec (VII, 1, 6): „At mehercules non aliud quis aut magnificentius quaesierit aut didicerit utilius quam de stellarum siderumque natura“, vide etiam VI, 3, 3 et 4. V. 234 praeter planetas intellegendas esse stellas crinitas supra vidimus: utraque sidera sunt, si cum stellis

fixis comparas, incondita: cometae sunt duplici ratione inconditi, primum cum stellis fixis comparati, deinde sui ipsorum itineris ratione habita (cf. N. Q. VII, 25, 3 „nondum tenentur legibus certis“ et N. Q. VII, 24, 1 „proprium iter“ = „suos motus“ v. 234): planetarum vel quinque stellarum etsi per se observati sunt cursus (cf. N. Q. VII, 25, 1) et sibi constant, tamen et haec sidera recte vocantur incondita et suos motus servantia comparata nimirum cum stellis fixis. — Vv. 259—263 vanum lucri quaestusque studium castigatur, quo pusillorum hominum pusillae cogitationes maiore contentione ferantur, quam ad quaerenda sublimia et vera bona, quae sunt pectoris: malunt homunculi nullam operam veriti aurum argentumque e terrae cuniculis effodere, quam artibus bonis, id quod solum expetendum est, imbuere mentes, cf. v. 274 sqq. Similiter invenio disputantem Senecam ep. 110, 9: „Ab hac divina contemplatione abductum animum in sordida et humilia pertraximus, ut avaritiae serviret, ut relicto mundo terminisque eius et dominis cuncta versantibus terram rimaretur et quaereret, quid ex illa mali effoderet, non contentus oblatis.“ Praeterea affero N. Q. V, 15, 2: „Intellexi . . . seculum nostrum non novis vitiis, sed iam inde antiquitus traditis laborare nec nostra aetate primum avaritiam venas terrarum lapidumque rimatam in tenebris male abstrusa quaesisse . . . Quae tanta necessitas hominem ad sidera erectum (cf. Aetna v. 227) incurvavit et defodit et in fundum telluris intimae mersit, ut erueret aurum non minore periculo quaerendum quam possidendum?“, cf. et N. Q. I prol. 7 et ep. 94, 56—58. Habes iterum si non verborum at certe sententiarum concordiam non raram illam quidem aut singularem, sed commemorandam nihilominus, cum nil videatur esse omittendum hoc loco, quo cogitandi aliqua demonstretur similitudo. Tale exemplum si unum tantummodo adesset, nil valeret profecto, sed si plura habeo, invicem sibi vires addunt et robur. Cave fingas me credere Aetnae auctorem tum cum versus illos conscripsit, duos illos locos Senecae manu tenuisse et imitatum esse consulto: immo putandus est poëta iam aliquanto ante quam ipse Aetnam suam pangeret, Senecae sui libros legisse, quorum studio ita delectabatur, ut magis magisque assecla fieret sententiarum huius philosophi: hic illic sane, maxime in rebus geologicis, in ipso scribendo consulta esse

Senecae volumina ab Aetnae auctore perquam probabile. — Inde a v. 569 miratur poëta pravum morem eorum, qui periculosissima per maria itinera non perhorrescant, si quid memorabile detur spectare, cum Aetnae montis summum non curent visere miraculum. Per se autem illa itinera, quae noscendi et discendi causa fiunt, non vituperat Aetnae auctor neque vero Seneca, v. N. Q. V, 18, 14. Sed uterque maris pericula reformidat nonnihil vel potius contemnit ut inutilia sine magna necessitate non subeunda homini: lege, quae de ipsius maris periculis habet Seneca, ubi de bellis loquitur transmarinis, quae valde appetantur ab ineptis hominibus praeter maris pericula insuper et belli quaerentibus N. Q. V, 18, 6 et 7: illuc autem spectat Aetnae v. 571 — cf. et v. 600 — sic perscribendus:

„Traducti maria et terras per proxima fatis Currimus". Iniuria offendit Baehrens in hac textus constitutione: „per proxima fatis currimus" idem fere est, quod „aegre mortem eludimus". Cur autem iungi non possit „traducti maria et terras", hoc me plane fugit. Probandus igitur vulgaris textus, qui est et Hauptii, nisi quod hic 'quaerimus' voluit v. 572, quam mutationem non accipio. Vides igitur neutrum auctorem magno opere delectari longis itineribus pericula praebentibus, quod nequaquam in omnes homines cadit, immo sunt haud pauci, quibus nil sit acceptius exoptatiusve: hi ipsi vituperantur. Translate enim accipiendum est, quod profitetur Seneca N. Q. III praef. 1: „Mundum circuire constitui et causas secretaque eius eruere (= Aetna 573)". — Trepidatio peregrinantium inexplebili quadam cupidine etiam atque etiam nova spectare aventium, qualis adumbratur in Aetna poëmatio cum toto orationis colore tum vocula „nunc" septiens repetita, similiter describitur a Seneca de tranquill. an. 2, 13 sqq. Quanto satius est Aetnaeum opus mente ac ratione comprehendere (v. 601 sqq.): vides iterum, quam totus loquatur Seneca, naturalium rerum investigator clarissimus. Neque enim peregrinationes possunt animum tranquillum reddere et vere beatum (cf. ad Helv. de cons. 17, 2), sed sola liberalia studia (17, 3), sed sola contemplatio naturae (N. Q. VI, 32, 1). Ac ne oblivisceretur auctor poëmatii carmini suo fabulam illam, quae est de fratrum Catinensium sancta pie-

tate[1]), ornandi causa adiungere, quae habet Seneca de benef. III, 37, 2, non minus eum commonuisse credo, quam Graecos fontes. — Dissentiunt viri docti, fueritne Aetnae poëta Stoicus an Epicureus, quae mihi videtur quaestio parum utiliter moveri. Primum enim ipso Aetnaeo carmine, quale servatum est, neutrum demonstratur: nam quae hanc quaestionem tangentia leguntur in poëmatio, tam pauca sunt et tam ambigua, ut nil ego certi amplius inde ausim concludere, cum praesertim haud paucas doctrinas constet communes fuisse Stoicis cum Epicureis, quod egregie apparet ex similitudine, qualem inter Senecae et Lucretii opera sat saepe intercedere facile plurimae docent paginae. Et quid tandem? Fuit certe Stoicus Seneca, hoc non nego profecto, sed in universum tantummodo: in singulis fuit eclecticus, qui suam sibi eamque liberam censuram rerum semper tuebatur atque servabat, ut ipse aperte effatur ad Gall. de vita beata 3, 2: „Sed ne te per circumitus traham, aliorum quidem opiniones praeteribo. Nam et enumerare illas longum est et coarguere: nostram accipe. Nostram autem cum dico, non adligo me ad unum aliquem ex Stoicis proceribus. Est et mihi censendi ius e. q. s.“ et N. Q. IV, 3, 6: „Inter nullos magis quam inter philosophos debet esse aequa libertas.“ Quotiens autem vituperet Stoicos Seneca ob dialecticorum artificiorum usum, hoc disce ex Haasii indice s. vv. „dialecticus“ et „sophismata“. Abeamus a nominibus, res videamus! Vv. 173 et 174 interitus mundi commemoratur, qui suo die accidet, cum terrae terribili tremore concussa omnia corruent. Verba poëtae haec sunt:

„Hinc venis[2]) rabies, hinc saevo quassa meatu
Fundamenta soli trepidant urbesque caducae,
— Inde neque est aliud, si fas est credere, mundo
Venturam antiquam faciem veracius omen“.

Quocum conferenda sunt, quae disputat Seneca in consolatione ad Marciam 26, 6, ubi in gravissima descriptione extremi diei,

---

[1]) cf. Sen. Thyest. 549: „Nulla vis maior pietate vera est“ (= Aetna 633 et 634).

[2]) Sic ego pro codicum memoria, quae est „venti“, cf. N. Q. VI, 14, 2.

qui hunc mundum manet, inter alia haec verba leguntur: „vetustas . . . hiatibus vastis subducet urbes, tremoribus quatiet et ex infimo pestilentes halitus mittet.“ Similiter licet non tam expresse dictum est hoc (cons. ad Polyb. 1, 2): Hoc universum, quod omnia divina humanaque complectitur, si fas putas credere, dies aliquis dissipabit et in confusionem veterem (= antiquam faciem v. 174) tenebrasque demerget.“ Cf. etiam N. Q. III, 13 et III, 28, 7 ad III, 29, 5. Vides igitur iterum scriptores nostros concinere. Ceterum, ut hoc statim hic proferam, quae vv. illis 171 et 172 de terrae motibus habet Aetnae auctor, simili modo enarrat et Seneca, licet hic paulo uberior sit, N. Q. VI, 25, 1: „Cum spiritus magna vi vacuum terrarum locum penitus opplevit coepitque rixari et de exitu cogitare, latera ipsa, inter quae latet, saepius percutit, supra quae urbes interdum sitae sunt Haec nonnunquam adeo concutiuntur, ut aedificia superposita procumbant, nonnunquam in tantum, ut parietes, quibus fertur omne tegimen cavi. decidant in illum subtervacantem locum totaeque urbes in immensam altitudinem vergant“. De vicinitate vocabulorum, quae sunt „urbes“ et „fundamenta“ cf. N. Q. VI, 1, 5: ceterum vide et VI, 1, 7: ‘fundamenta soli’ habes VI, 1, 10. Sed iam transeat quaestio mea ad res geologicas.

Haec terra haudquaquam spissa est, sed rimis, canalibus specubusque subterraneis cavata undique atque laxata. Quae Aetnae auctoris primaria doctrina cum toto carmine tum vv. 94—98, 105, 108—110, 117—118, 284—285 nec non 155—157 luculente proponitur. Prorsus eadem doctrina dominatur in naturalibus quaestionibus Senecae, quod quam verum sit, probe demonstratur locis a me collectis his:

N. Q. V, 14, 1: „Non tota solido contextu terra in imum usque fundatur, sed multis partibus cava ‘et caecis suspensa latebris’ (cf. Ov. Met. 1, 388)“ N. Q. III, 16, 4: „Sunt et illic (sc. sub terra) specus vasti, sunt ingentes recessus ac spatia suspensis hinc et inde montibus laxa. Sunt abrupti in infinitum hiatus . . .“ cf. N. Q. VI, 24, 3 extr. N. Q. III, 26, 3: „Sub terra vacat locus“; N. Q. VI, 23, 1: „Rara terrae natura est multumque habens vacui.“ Qua autem temeritate verba vel integerrima temptentur hic illic a criticis, bene apparet ex Aetnae v. 285 supra laudato.

Quod enim praebent ibi codices „terra minutis rara foraminibus“, Maehlyus et Baehrens, quia nimirum perperam vertebant „die Erde, die nur selten kleine Hohlräume hat“, ut poëtae doctrinae, quam plane aliam esse sciebant ex vv. 94—98, subvenirent, ita mutaverunt, ut „laxa“ scriberent vel „sparsa“: est autem illud „rara“ eodem sensu Aetnae loco accipiendum, quo Senecae eo loco, quem supra exhibui et vertendum per nostrum „rissig“ vel „gelockert“ ita, ut raritati sit opposita densitas, cf. Verg. Georg. II, 226 sqq. ed Ribb. et N. Q. I, 5, 8, II, 52, 1. — Eam autem comparationem, quae legitur inde a v. 98 usque ad v. 101, animalium venas spectantem, quae simili vice fungantur in corporibus animantium ac venae hanc terram percurrentes in huius visceribus, legi et apud Senecam N. Q. VI, 14, 1 iam olim Scaliger adnotavit: ipse addo N. Q. III, 15, 1. Tenet igitur, quia ‘nihil usquam inane est’, terra venis suis hiatibusque spiritum inclusum, cf. v. 101, N. Q. VI, 25, 3, III, 16, 5. — Ad hos ipsos subterraneos canales referendum est, quod flumina quaedam subito vastis voraginibus intercepta absorbentur et deinde in subterraneis venis hiatibusque cursum agere pergunt sive nunquam et nusquam iterum apparitura oculis nostris sive longe alio loco rursus exsultura e tenebris et perrectura porro labi in conspectu nostro non aliter ac tum, cum nondum fuere hausta. Haec sententia ab Aetnae poëta vv. 123—127 allata egregie conspirat ad id, quod docet Seneca N. Q. III, 26, 3: „Quaedam flumina palam in aliquem specum decidunt et sic ex oculis auferuntur, quaedam consumuntur paulatim et intercidunt. Eadem ex intervallo revertuntur recipiuntque et nomen et cursum . . . Illo (sc. inferiore et inani) itaque recepta flumina cursus egere secreto, sed cum primum aliquid solidi, quod obstaret, occurrit, perrupta parte, quae minus ad exitum repugnabat, repetiere cursum suum.

Sic ubi terreno e. q. s. Ov. met. XV, 273 sqq.“, cf. et N. Q. VI, 8, 1 et 2. — V. 114 docetur fortasse etiam vapores iter sibi et igni parantes olim terram rimatos esse: ad eandem causam omnem etiam postea accidentem terrae tremorem atque scissuram rettulisse nonnullos docet Sen. N. Q. VI, 11. Legendum autem in Aetnae v. 114 cum Sevino „vicere“ coll. v. 116, ubi „pugnavere“ legitur, nec non N. Q. VI, 14, 3, ubi „pugna“: idem locus

tuetur et illud „intrat“ v. 111, ut iam Baehrens recte adnotavit: ad verba „atque igni quaesita via est“ (115) cf. eandem locutionem, quae invenitur N. Q. V, 14, 4. Difficillimi sunt versus 120 sqq., nam corruptelis scatent haud mediocribus, ita mehercle, ut certam quandam ipsorum verborum constitutionem — nam de sententia non dubito — et quae nihil scrupuli aut dubitationis relinquat, vix unquam firmatum iri mihi persuasum sit. Faciamus igitur interim cum Baehrente, cuius textus mihi magis arridet, quam Jacobi, nisi quod v. 122 codicum memoria „contrahat“ retinenda videtur: verborum enim repetitionem aut eorundem aut ex sono similium non fugit noster, cf. vv. 81 et 82, 118 et 119, 169, 320 et 321, qua in re maxime cum Lucretio conspirat, quod hoc loco satis sit monuisse. Hoc unum stat: pro codicum inepta vocula „ille“ restituenda cum Jacobo mentio Nili fluminis, quam in emendationem palmarem incidisse est praecipua laus Jacobi, qui ut firmaret coniecturam suam, secundissimis Musis eo nixus est pag. 115 libri sui, quod docet in simillima quaestione Seneca N. Q. VI, 8 de Nilo. Hic enim Nilus unde tandem posset tam ingentem aquarum copiam nancisci, nisi ex amplis vastisque sinibus terra absconditis vires suas contraheret? Idem habet et Seneca illo capite: vides igitur Senecae scripta non solum ad explicandam, verum etiam ad emendandam Aetnam usui esse posse, cuius rei hoc ipsum est illustre exemplum. Versus autem 122 lucem accipit coll. Sen. N. Q. VI, 7, 3: „Quis autem neget vastis illas (sc. aquas) receptaculis concipi . . ? Non est diu probandum ibi multas aquas esse ubi origines (sic cum Haasio legendum, non „amnes“ aut „omnes“ librorum, cf. VI, 8, 1) sunt. Neque enim sufficeret tellus ad tot flumina edenda, nisi ex reposito multoque (= ex pleno) funderet.“ Cf. praeterea N. Q. III, 19, 4, III, 29, 1, III, 30, 3. — Quod v. 142 de auris e subterraneis specubus continenter profugientibus („aer tantum effugit ultra“) legitur, idem ut aliis ita Senecae notum fuisse apparet ex loco, qui est N. Q. V, 14 initio: Repetam . . edi e specu ventos recessuque interiore terrarum“, cf. N. Q. V, 4, 1. Ceterum hodie adhuc illud in omni fere antro nonnihil animadvertitur: cum hac re cohaeret fortasse quodammodo, quod scimus in Alpibus hic illic observari. ubi validissimi interdum et gelidissimi flatus ex rupium

hiatibus prospirant, cf. „Ausland, 1872, No. 25 p. 599, die Wetterlöcher in den Alpen", quem locum laudatum invenio in programmate Nehringii priore[1]) „die geologischen Anschauungen des Philosophen Seneca, Wolfenbüttel, 1873" p. 36. Audi et Schillerum in Tellio:

„Der graue Thalvogt kommt, dumpf brüllt der Firn,
Der Mythenstein zieht seine Haube an
Und kalt her bläst es aus dem Wetterloch",

et Tschudium in libro, qui inscribitur „das Thierleben der Alpenwelt", Lipsiae, 1875, p. 28. Interdum sane ad tempus tantummodo spirant venti per foramen aliquod, quod sibi ipsi paravere vi sua terram perfringentes, cf. N. Q. VI, 17, 3. — Iam vero omnis terrae motus et vulcaniorum ignium eruptionis primaria causa est spiritus i. e. aer agitatus (N. Q. II, 1, 3) ex Aetnae auctoris doctrina non minus quam Senecae, qui est gravissimus consensus omnium, quos affero, nam dominatur per totam Aetnam et per totum sextum librum naturalium quaestionum: loci primarii sunt Aetna v. 153 sqq:

„Hinc terrae tremor, hinc motus, ubi densus hiantes
Spiritus exagitat venas cessantiaque urget."

et N. Q. VI, 24, 1: „Spiritum esse huius mali causam et ipse consentio", VI, 21, 1: „Nobis quoque placet hunc spiritum esse, qui possit tanta conari", II, 8: „Quid autem est, quod magis credatur ex se ipso habere intentionem, quam spiritus? Hunc intendi quis negabit, cum viderit iactari terram cum montibus, tecta murosque, magnas cum populis urbes, cum totis maria litoribus?" — Vv. 146-149 idem docent, quod legis apud Senecam N. Q. VI, 17, 2: „Idem spiritu fit, qui quo valentior agiliorque est, citius rapitur et vehementius septum omne disturbat." Huic loco a Jacobo laudato alter subiungendus est, quem Wernsdorfius advocavit, N. Q. VI, 14, 3 et 4. Illis autem Aetnaeis versibus hanc tribue distinctionem:

„Nam quo liberior quoque est animosior ingens
Spiritus — inclusis nec ventis segnior ira est
Sub terra penitusque movent — hoc plura necesse est
Vincla magis solvant, magis hoc obstantia pellant"

---

[1]) Altera pars publici iuris facta est tribus annis post: ceterum on sunt inutiles hae Nehringii commentationes.

ita, ut verba, quae sunt „inclusis nec ventis segnior ira est sub terra penitusque movent“ uncis inclusa legantur hac sententia: „et profecto! ille impetus ventorum, si angustiis comprimuntur subterraneis, id quod cadit in Aetnaeos ventos, non est segnior!“ Vocabulum „inclusis“ primo loco positum est, quia voce est efferendum. „Solvant“ autem et „pellant“ scripsit poëta, non „solvat“ et „pellat“, quia „venti“ intercesserant, ad quos quia idem sunt atque spiritus et proxime leguntur, mente aberravit in scribendo, quod nos omnes facillime excusamus, nam talia saepissime inveniuntur non solum apud veteres scriptores, sed etiam apud recentes. Quod autem v. 146 praebent codices „ignis“, illud ferri nullo pacto potest, cum hic non nisi de spiritu sermo sit, quod vocabulum Hauptius initio sequentis versus suo iure reposuit. Illa autem, quae sunt „ignis“ et „ingens“, totiens sunt confusa a scribis, ut ea mutatio fere nulla sit. 'Liberior', ut hoc addam, spiritus idem est, quem 'agiliorem' dicit Seneca, 'animosior', quem 'valentiorem' appellat philosophus. — Inde a. v. 158 errare dicit poëta, si quis putet in summis Aetnae hiatibus, ergo in ipso vasto cratere, concrescere vires ventorum: eas enim auras, quae illic vagentur, languidas esse et inertes, quia nimirum angustiae loci desint illos ventos coarctantes et ad impetum furoremque acuentes: saevos esse ventos tantummodo, si conclusi teneantur angustissimis venis omnem languorem pacemque abitus prohibentibus. Textum autem Baehrentinum probo, nisi quod v. 164 illud „conceptae“ Gyraldini recte se habet[1]) et in v. 165 illud „acuatque“ Munronis praeferendum est. Sen. N. Q. VI, 18 initio: „Maxima ergo causa est, propter quam terra moveatur, spiritus natura citus et locum e loco mutans. Hic quamdiu non impellitur et in vacanti spatio latet, iacet innoxius nec circumiectis molestus est: ubi illum extrinsecus superveniens causa sollicitat compellitque et in artum agit, si licet adhuc, cedit tantum et vagatur („vagantur“ v. 162 bene restituit Baehrens): ubi erepta discedendi facultas est et undique obsistitur, tunc

---

[1]) 'Aditus' est ipse crater ignes evomens, cf. N. Q. VI, 15, 1 et Aetnae v. 181.

magno cum murmure montis

Cirum claustra fremunt e. q. s.“ N. Q. VI, 14, 3: „Vide ergo, numquid intret in illam (sc. terram) spiritus ex circumfuso aëre, qui quamdiu habet exitum, sine iniuria labitur. Si offendit aliquid . . , quod viam claudat, . . hoc acrius fertur quo angustius“. N. Q. VI, 17, 1: „Nam quamdiu non impeditur (sc. aër), it placide. Cum offenditur et retinetur, insanit et moras suas abrumpit“: „tunc ille quaerens locum omnes angustias dimovet et claustra sua conatur effringere“ N. Q. VI, 12, 2. „Acriora enim sunt, quibus nisus est per angusta“ N. Q. VI, 30, 3. — Versus 213—218 quomodo perscribendi sint, supra exposui: brevissime eandem sententiam complectitur et Seneca N. Q. VI, 21: „ignem spiritus concitat.“ — De fervida harena, qualem eructat interdum Aetna (v. vv. 199, 207, 361, 469), cf. et N. Q. II, 30, 1. — Adumbratur inde a v. 294 usque ad v. 296 machina quaedam hydraulica, cui forma fuit Tritonis cochleam inflantis: commemoratur autem talis figura cum ab Herone in pneumaticis (p. 227) tum a Suetonio in vita Claudii (cap. 21). Secuntur versus tres de cortina (de qua cf. Vitruv. X, 8 (13)). Utriusque autem machinae ea est ratio, ut aquae copia fortiter urgens devincat aëra cedere coactum quam celerrime, ventus autem — nam quid aliud est ventus nisi aër celerrimo motu concitatus? — exitum quaerens, quia per angustum cogitur exire, sonum efficiat. Tales autem machinas, ut iam vidit Wernsdorfius, voluit et Seneca, cum de aëris intentione N. Q. II, 6, 5 haec scriberet: „Quis sine intentione cantus est? cornua et tubae et quae aquarum pressura maiorem sonitum formant quam qui ore reddi potest, nonne aëris intentione partes suas explicant?“ Quae igitur paucis hic tetigit in universum Seneca, duobus exemplis maluit illustrare poëta, quo facilius intellegeretur, qualem ventorum in Aetna monte furentium ipse sibi cogitaret causam. Contra non quadrat, quod de Metrodoro Chio narratum N. Q. VI, 19, 2 laudat Scaliger: agitur enim nostro loco de pressura atque impetu aquae subremigantis, non de pressura, quam efficit aër voce perculsus nescio qua. Cave etiam, ne huc spectare credas, quae legis N. Q. II, 9, 2: hoc loco ‘sparsio’ non est soni, sed aquae sparsio: solebant enim, antequam convenirent spectatores, ex media arena siphone aliquo aquae copiae in omnes partes theatri sursum disici, aut ut aer

calidus ac torpens fieret gelidior, aut — si liquor erat bene odoratus — ut gratus etiam pararetur atque iucundus in theatro odor. — Iam sequitur palmare argumentum, quod ut plurima alia primus profero: N. Q. III, 16, 4 Seneca hanc exprimit sententiam: 'Quae sub terra sunt, non possumus videre, sed videre possumus ea tantummodo, quae sunt supra. Quae cum ita sint, bona fide credantur necesse est sub terra omnia illa, quae cernuntur supra.' Verba Senecae haec sunt: „Sunt et sub terra minus nobis nota iura naturae, sed non minus certa: crede infra, quicquid vides supra." Quocum sermone conferas Aetnae vv. 302 et 303:

„Credendum est etiam ventorum existere causas
Sub terra similes harum quas cernimus extra".

Hoc loco nil nisi Senecae sui verba pedestria in versus hexametros redegit poëta, quod tam apertum est, ut hoc exemplum in certissimis argumentis numerare non dubitem, quod infringere vereor ne frustra conitatur adversarius vel obstinatissimus: quae illic in universum exponuntur, hic — utut locum dedere duobus versiculis editores — comprobantur de ventis. Ceterum similis argumentatio redit v. 145. — Etiam versus 312 usque ad 316 sententiam continent haud alienam a Seneca. Sed explicandum antea, quomodo procedat sermo inde a v. 307: neque enim editores satis dilucide et acriter rem egere aut etiam longe a vero aberraverunt, ut Baehrens, cuius, ut alia missa faciam, in vv. 309 et 312 emendationes „non dubium quia sit" (= „quia non dubium sit e. q. s.") et „cerne" sunt infelicissimae et sententiarum conexum, qualem poëta esse voluit, plane turbantes. Lege igitur eum textum, quem Munro exhibet, ita tamen, ut „flamina" restituas cum Italis pro codicum errore „flumina" facile excusando praecedente vocabulo „amnis" et pro tradito „effundere" aut legas cum Hauptio „se fundere" aut „se effundere" cum Baehrente: utrum praeferas, non multum refert: sententia eadem est. Poëta enim postquam verba fecit de ventorum subterraneorum eo partu, cuius causa posita est in aquae subremigantis pressione atque impetu, sic pergit: „Si tu, lector, hac causa a me allata nondum te contentum dicis, sed alias esse causas mavis, quae ventos illos conficiant, haud ego obloquor profecto, immo concedo tibi esse etiam alias ventorum causas: primum enim sine dubio cieri sub terra venti possunt

rupibus cavernisque proruentibus magno cum impetu (309—311), deinde autem ut venti nascantur, potest et ita fieri, ut umor subterraneus nebulas emittat, sicut in nostro conspectu ex amnibus solent aut vallibus assurgere: primum sunt parva et lenia flamina, deinde umoris assidua aspiratione paulatim aurarum vim ante se agunt, quae ad ventorum robur proxime accedit: et ubi primum aurarum aliquis coortus est impetus, brevi tempore ad verum ille ventum augetur (312—316).

„Atque haec in vacuo (h. e. in superficie huius terrae)
si tanta potentia rorum est,
Hoc plura efficiant infra (i. e. sub terra) clusique necesse est.“

Haec iam plana sunt omnia ex mea interpretatione. Est igitur post versum 308 cogitatione supplendum tale quid quale nostrum „so vernimm denn“, ut saepissime, id quod et nos in versione per breviloquentiam quandam possumus omittere. Sed iam videamus Senecam! N. Q. V, 7 haec leguntur: „In universum de ventis diximus, nunc viritim incipiamus illos excutere: fortasse adparebit, quemadmodum fiant, si adparuerit, quando et unde procedant. Primum ergo antelucanos flatus inspiciamus, qui aut ex fluminibus aut ex convallibus aut ex aliquo sinu feruntur . . . Hoc ventorum genus . . . inde maxime venit, ubi aquarum plurimum et montium est. Plana licet abundent aquis, carent aura, hac dico, quae pro vento valet.“ Vides, quam bene haec concinant cum poëmate et videbis melius etiam, si hoc tibi addidero: Itaque montibus inclusi rores maximam accipiunt vim ex doctrina Senecae, 'pro vento valentem'. Hoc autem optime transtulit assentiente Seneca N. Q. V, 14, 2 et 3 Aetnae auctor ad angustias subterraneas, quibus verisimile sit, aurarum vim non minus arctari atque acui, quam circumiectis montibus in superficie huius terrae, quod verum est. Loquitur igitur de flatu, aura, vento denique Seneca: eosdem gradus habes N. Q. III, 25, 8.[1]) Sed unde tandem ille flatus oritur? Iam Aetnae poëta humorem in causa esse vult nebulas emittentem. Vide modo, quam totus sit Senecae doctrina imbutus Aetnae auctor! N.

[1]) Similiter aëra, spiritum, ventum distinguit Seneca N. Q. V, 13 s. f., quamquam in universum ipse fere promiscue eis verbis utitur.

Q. V, 4, 1 haec habes: „. . . cum magna et continua ex imo evaporatio in altum egit, quae emiserat (non „emerserat“), immutatio ipsa halitus mixti in ventum vertitur. Quid tandem aliud sunt tales nebulae, quales in pratis aut vallibus prope fluvios conspiciuntur interdum, nisi evaporationes ex humido surgentes? Ex nebula autem ventus nascitur hoc modo: nebula est spissus, gravis, compressus aër, qui ubi dissolvitur, ‘extenuatus nititur in ampliorem locum’ (cf. N. Q. V, 5, 1). Idem innuit illo loco et Aetnae auctor, licet hic ventos suos semper ad certas causas certumque impulsum aliunde venientem revocet, cum Senecae placeat praeter hanc doctrinam etiam altera quaedam: dicit enim (N. Q. V, 5, 1) „habere aëra naturalem vim movendi se neque aliunde concipere, sed inesse illi ut aliarum rerum ita huius potentiam.“ Versus autem 309—311 eandem sententiam referunt quam habet Seneca N. Q. VI, 22, 2—4 de terrae eo motu, qui succussione fit tum, cum „sub terris . . ex his quae impendent rupibus aliqua resoluta magno pondere ac sono (= ingenti sonitu, Aetna 310) in subiacentem cavernam cadit“. At vero succutitur terra, quod procidentibus molibus ingens efficitur aëris in omnes partes discedentis compressio ventum gignens. Similiter sentiebat et Anaximenes, cf. N. Q. VI, 10, atque etiam nostrorum temporum viri docti idem credunt nonnulli, cf. „Volger und Mohr, Erde und Ewigkeit“, p. 252. — Vim incredibilem spiritus poëta maxime adumbrat vv. 324 sqq. 381 sqq. Haud aliter sensisse Senecam doceat locus, qui est N. Q. VI, 18, 3: „Ita eius (i. e. spiritus) non potest vis tanta cohiberi nec ventum tenet ulla compages. Solvit enim quodcunque vinculum et onus omne fert secum (cf. v. 383) . . . Spiritus invicta res est.“ Cf. et N. Q. VI, 21, 1. — Nutrimenta ignis Aetnaei poëta affert sulphur, alumen, bitumen, imprimis lapidem molarem, cf. v. 386 sqq., quo de loco pauca dicam, cum nondum satis sit emendatus. Munro ad vocem ‘silvae’ (v. 386) adnotat: „the plur. seems curious“. Sane quidem, sed non est nominativus pluralis, sed genetivus singularis, quod fugit editores plerosque. Sed quid multa? Missis editorum ineptiis age mecum sic legas:

„Nunc superat, quaecumque **creant** incendia silvae,
Quae flammas alimenta vocent, quid nutriat Aetnam

Incendi patiens.“ h. e. „quaecumque incendium ὕλης procreant (ab hac re abeo), restat, ut disquiratur, quaenam sint illa alimenta ignem allicientia e. q. s.“ Transit igitur iam poëta ad ipsa ignis pabula describenda, abit a causis, quae illa pabula incendant, imprimis igitur a torrente spiritu, ‘qui fulminat ignes’ (v. 345). Nam per se non flagrat profecto sulfur, per se non flagrat lapis molaris, sed debent aliqua ratione incendi, tum demum flagrant. Sed conficit rem testis Seneca, qui N. Q. V, 14, 4 haec habet: „Illud vero manifestum est magnam esse sub terris vim sulphuris et aliorum non minus ignem alentium. Per haec loca cum se exitum quaerens spiritus torsit, accendat flammam ipso adfrictu necesse est.“ — Vv. 394 et 395 poëta affert argumenti loco fontes infectae aquae, quales sub Aetnae radice exstent quorumque et odor et sapor sulphur illud testetur et ceteras res flammarum nutrices, quas supra nominavi:

„Atque hanc materiam penitus discurrere (sc. Aetnam), fontes
Infectae testantur aquae radice sub ipsa.“ Ad hanc sententiam cf. N. Q. III, 24, 4, III, 20, 2, III, 2, 1, III, 21, 2. — Ipsa autem eruptio ignis aut succussio terrae solet praenuntiari multo sonitu ac fragore,

„et grave sub terra murmur denuntiat ignes,“

ut ait poëta v. 464: item Seneca N. Q. II, 27, 1: „grave . . murmur, quale terrarum motum antecedit;“ N. Q. VI, 13, 5: „ideoque antequam terra moveatur, solet mugitus audiri ventis in abdito tumultuantibus.“

In una sane re differunt inter se Seneca et Aetnae auctor, quam hic non dissimulaverim: ille enim spiritum extrinsecus in terrae foramina intrare obstinate negat. cf. N. Q. VI, 24, 1 sqq.: „Spiritum esse huius mali causam et ipse consentio: de illo disputabo, quomodo intret hic spiritus . . . utrum ab imo an etiam per summa terrarum. Hoc incredibile est . . . ergo verisimile est terram ex alto moveri et illic spiritum in cavernis ingentibus concipi.“ Itaque spiritus ex Senecae doctrina in ipsius terrae visceribus nascitur, contra Aetnae auctor credit posse etiam extrinsecus irrepere illas auras per latera Aetnae montis hic illic hiantia ventisque obnoxia, cf. vv. 284—289, licet de maximo et

primario montis cratere hoc neget, cf. v. 330 sqq., v. 158 sqq.: illa enim foramina, quae sunt in lateribus Aetnae, longiore varioque itinere interiecto omnia iterum prodeunt in imo cratere primario ut venae ac spiramenta spiritum aqua pressum vehementissimo impetu in maximum cratera inflantia, cf. v. 176 sqq., ubi v. 177 optime „sibi" pro tradito „sui" emendavit Langius: concha Tritonis respondet primario ac summo crateri Aetnaeo, qui exspirat tantummodo: intrant venti in utroque opere alio itinere, ut et aquae illos instigantes. Hactenus de auctorum nostrorum conspiratione.

Sed iam audiamus Baehrentem, qui p. 30 haec habet: „Nam in eodem capite (sc. N. Q. III, 26) quae de fluminibus in specus decidentibus rursusque apparentibus proferuntur, ea miro modo concinunt cum Aetnae vv. 117 sqq.", ad quae verba haec adnotat: „hanc similitudinem aliis quoque locis perspicuam ex communi et Aetnae auctori et Senecae fonte explico." Sed iam quaero ex Baehrente, quem tandem fontem dicat, cum sciamus permultos fontes eclectice adiisse Senecam et Graecos et Latinos, id quod ne ipse quidem Seneca dissimulat, ut docet eius naturalium quaestionum unaquaeque fere pagina.

Apparet igitur Senecae naturales quaestiones ab Aetnae auctore magna cum cupiditate discendi lectitatas esse, priusquam ad pangendum de Aetna carmen se conferret, qua de re iniuria dubitat Teuffelius (p. 695 tertiae editionis). Quae cum ita sint, intra annos 65 et 79 p. Chr. n. ortum est nostrum poëma: nam licet ipsius elocutionis, quali usus est Seneca et noster auctor, similitudo non nimia animadvertatur, tamen cogitandi concordiam non magnam inveniri sed maximam aut caeci sumus aut debemus concedere. Accedit, quod alter pedestri, alter poëtica oratione usus est: vel hoc ipsum, quod non eadem ubique verba occurrunt, facile explicat: Sed ne voluit quidem in ipsis verbis nimis pendere ex Seneca noster, quia nimirum describere Senecae opera et alii poterant, et ipsum, quibus erat moribus, talis facinoris puduisset: voluit doceri a Seneca, nil aliud.

At vero cavendum est quam maxime, ne illinc continuo sequi clames, ut Lucilius iunior poëmatium nostrum conscripserit: haec est longe alia quaestio. Quasi non possint in usum vocata esse Senecae, clarissimi illius philosophi, scripta etiam ab alio homine

nescio quo, quasi aut Lucilius ille Wernsdorfii Senecam legisse putandus sit aut nemo. Multa sane Wernsdorfii opinionem commendare videntur: fuit ille Lucilius amicus et discipulus Senecae et post magistri obitum superstes: vixit in ipsa Sicilia, cuius ab otiosa procuratione plurimum vacabat studiis physicis atque philosophicis: fecit versus (N. Q. IV praef. 14) et versus quidem hexametros ipsam Siciliam spectantes (cf. N. Q. III, 1, 1), tractavit versibus e. gr. fabulam de Alpheo et Arethusa (cf. N. Q. III, 26, 6). Haec omnia vera sunt et possunt nullo negotio additis his illis quisquiliis nonnihil augeri. Illa vero Senecae epistula 79, qua maxime innititur Wernsdorfius ad stabiliendam coniecturam suam, ita mihi videtur comparata esse, ut non tam augeat probabilitatem quam minuat. Namque Seneca in illa epistula hortatur amicum, ut Aetnam quoque, postquam eam adscenderit, describat in suo carmine et hunc sollemnem omnibus poëtis locum attingat. Iam cum initio eius epistulae Lucilii commemoretur circuitus totius Siciliae, id sine dubio voluit Seneca, ut in longiore de tota Sicilia eiusque miraculis opusculo, quod scripturus esset et cuius unus ille versiculus (N. Q. III, 1, 1) servatus est, etiam Aetnam montem luculente describeret, ut qui locus praeter ceteros se daret feliciter. Si igitur nihilominus vis Lucilium illum auctorem affirmare poëmatii nostri, debes eo artificio uti, ut dicas: „Sane quidem, illud innuebat Seneca et suadebat, sed discipulo placuit magistri consilio ita obtemperare, ut proprio ac peculiari carmine Aetnam caneret, quia nimirum sic melius agere sibi videbatur.“ Quo confugienti firmissimis argumentis vix quisquam sententiam tuam tibi eripiat. Quae cum ita sint, nostris opibus neutrum demonstrari potest deficientibus testimoniis veteribus, nec fuisse Lucilium Aetnae auctorem neque vero non fuisse. Hoc tamen stat: Aetna nostra conscripta est ab homine aliquo Senecae assecla ac sectatore, qui eius naturales maxime quaestiones probe legerat et adamaverat: ultra nil affirmari potest.

Nuper mihi innotuit quaestiuncula, quae inscribitur: „Poema de Aetna monte Vergilio auctori potissimum esse tribuendum demonstrabat Dr. Bronislauos Kruczkiewicz, Cracoviae, 1883“. Non credo cuiquam esse persuasurum auctorem huius libelli, nam quae affert ad firmandam sententiam suam, ita sunt comparata omnia,

ut nullo negotio referantur ad studium, quod omnes primi post Chr. n. saeculi poëtae vati Mantuano tamquam principi poëtarum augustissimo solebant impendere. Itaque non attinet singula illius commentationis diserte hic refellere, nisi quod breviter respondere placet uni quod restat argumento, ei scilicet, quod p. 16 proposuit auctor, ut demonstraret non potuisse post Augusti tempora scriptum esse poema nostrum. Commemorari enim v. 595 Coam Apellis Venerem, hanc autem tabulam testibus Strabone et Plinio „iam ab Augusto a Cois emptam et Romae in templo Caesaris propositam esse.“ Jam pergit Kruczkiewicz: „Quae cum ita sint, auctor Aetnae, si post Augusti tempora carmen suum scripsisset, vix potuit Coae Veneris tabulam in eorum numerum referre, quae visuris Romanis longa itinera eaque transmarina conficienda erant (conf. vv. 569 sqq., 600).“ Ubi tandem de Romae incolis loquitur poëta? Dicit v. 572 „currimus“ et v. 600 „putas“, sed ita dicit, ut omnes homines intellegendi sint, qui malint longa per maria itinera facere, quam Aetnae intueri summum miraculum. Ut igitur e. gr. Romani Athenas transmigrabant visendi causa, sic invicem Graeci et ceteri populi putandi sunt adiisse Romam, ut delectaretur oculorum sensus tabulis marmoribusque. Et omnino Aetnae auctorem Romae scripsisse ubi tandem legitur? Si vero in ipsa Sicilia scripsit et volebat Coam Apellis Venerem videre, conficiendum sane erat iter longius et transmarinum. Praeterea in eo displicet Kruczkiewicz, quod, ut Vergilium evincat Aetnae auctorem, (p. 6 sqq.) nimiam fidem habet testimoniis Donati et Servii atque inscriptionibus Cantabrigiensis libri Stabulensisque, quos codices perperam „optimos“ dicit (p. 7). Quasi non eiusdem Donati Serviique testimonia Cirin quoque dederint Vergilio! Ista igitur ratio ex antiquis testimoniis deprompta si in ullo carmine Latino, in Aetna, ut quae sit appendicis quam vocant Vergilianae pars, per se parum valet. Accedit, quod iam Donatus i. e. Suetonius dubius haesisse videtur, sitne Aetna Vergilii necne: dicit enim: „scripsit etiam ‘de qua ambigitur’ Aetnam“. Cum tamen Bernensis liber habeat: „scripsit etiam Aetnam, de qua ambigitur“, potest sane moveri suspicio illud additamentum „de qua ambigitur“ fortasse non ipsi Donato tribuendum esse, sed grammatico nescio cui posterioris aevi. Quamquam ne hoc quidem certum est.